

Q. F. F. Q. V. E. D. O. M.

DE TYRANNIS ET EORUM MORIBUS,

EX OCCASIONE EXEMPLI

TIBERII CÆSARIS

APUD TACITUM PER SEX LIBROS EJUS ANNALIUM,
DISPUTATIO HISTORICO-POLITICA:

QVAM

INDULGENTE ET APPROBANTE
AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA
IN CELEBERRIMA AC REGIA ACADEMIA ABOENSI,

SUB PRÆSIDIO

AMPLISSIMI VIRI

DN. M. PETRI HAHN,

SCIENTIÆ NATURALIS PROFESSORIS ORDINARIÆ,
PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SUI MA.
XIME SUSPICIENDI.

PRO MAGISTERII GRADU

PLACIDÆ BONORUM CENSURÆ SUBMITTIT

HAQVINUS ANDREÆ WIISING, SMOL. REGIUS ALUMNUS.

AD DIEM 26. NOVEMB. ANNI M. DC. LXXXVII.
IN AUDITORIO MAXIMO, HORIS AB OCTAVA MATUTINIS.

A B O Æ,

EXCU SA APUD JOHANNEM LAURENTII WALLIUM,
REGIÆ UNIV. IBIDEM TYPOGR.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI
AC DOMINO

DN. CANUTO HAHN,

UT ANTEA SCANIAE ET BLEKINGIÆ EPISCOPO MERITISSIMO,
ET ACADEMIÆ CAROLINÆ PRO-CANCELLARIO MAGNIFICO;
SIC JAM INCLYTÆ DIOECESOS WEXIONENSIS PRÆSULI EMI-
NENTISSIMO, VENER. CONSISTORII ANTISTITI, GYMNASII
REGII ET SCHOL: PER DIOECESIN RELIQVARUM EPHORO AM-
PLISSIMO, MECÆNATI AC DOMINO, PIA MENTE ÆTA-
TEM DEVENERANDO.

PACEM, FELICITATEM ET ANNOS!



biit hinc eheu! naturæ illâ lege, que omnes nos fe-
cit mortales; ac in sedem summè beatam, in sedem,
qua ipsi æternitati erit confinis, festinus transiit
Noster, quem haec tenus venerati, jam inter san-
ctos sanctè reponimus, Diœcesos Wex: Reveren-
dissimus Dn. Præsul, M. JONAS SCARINIUS: quem

Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

Scilicet in stadio mortis singuli currimus, semperque periclitaturi
sine quiete pellimur; donec deposito, quod gestamus pulvere, vita
pia & morte non moritura, metam illam attingimus immortalem. Sed
DEO canamus hymnos, qui sive tamen Ecclesiæ inter tot fortune
plagas agit omniscium protectorem: Et REGIS nostri SERENISSI-
MI submisse exosculemur paternam curam, quâ ipsi Clementissimè
placuit Tuam Reverendissimam Amplitudinem, MÆCENAS
CELEBERRIME, ob insignia & per plurima in Patriam merita ac in
Eccle-

Ecclesiasticis officiis, ad nostrae Diocesis consolationem promovere & province orbæ Præsidem dare Amplissimum. Proinde requiescat jam in cœlestium choro, beata illa SCARINII nostri anima; desinat lacrymæ, sileant ploratus, succedat gaudium, redeat animus, & ego moderari pergam singultus, quos hactenus expressit justissimus dolor. Immo: ut sunt non paucis mortalium vix moderata, gaudium & dolor: sic vel mihi etiam in tantum jam crevit animus, ex rei presentis tam felici mutatione, ut credam me audiere Tuam Reverendiss: Amplitudinem submissè rogatum accedere, velit T. R. A. quo est in Musarum fidos quoq; satellites, Paterno ac verè Niveo animo, vel me utpote sui Nominis humilium servitorem, in numerum suorum clientum referre. Audax, fateor, factum! Sed votum quodvis humili, magis etiamnum pium, magis simplex. Occasionem vero, quâ tam ardens meum desiderium in Tuæ Reverendiss: Ampl: paterni gremii sinum felicius primum deportarem, non inveni aliam, quam ut, cum ex nutu Ampliss: Fac: Philos: mihi honores adituro Academicos, loco speciminis publici, disputationem quandam conscriberem ac defendarem, ejusdem primam faciem T. A. Nominis adornem ex debito, quo ex sententia obligatus teneor. Vultu proinde sereno suscipiat peto T. R. A. hanc vitem simplicitatem & ejus auctorem, in paterni sui favoris patrocinium. Ego qui re nihil planè possum præstare, precibus affatim recompensabo indies rogaturus Velit omnipotens ille Deus T. R. A. administrationum auspiciis adesse, felices tribuere successus, ac vitam ad ultimum longam clementer concedere, accrescente Sui Nominis & Ecclesiæ splendore, vigente patria & feliciter florente T. R. A. Amplissi: familia, de tam splendidâ, prope divâ & ipsi mortalitati sacratâ, sua domus corona! Quod voreo & cernuis precor,

Tuæ Reverendissimæ Amplitudinis

Subjectissimus Cliens
HAQVINUS WIISING.

Admodum Reverendo & Praeclarissimo Domino
M.ENEVALDO WIDEBECK,

Cathedralis templi Wex: Pastori & Archipræposito gravissimo, Consistorii Adseffori primario dignissimo, Patrono ac promotori meo, summa reverentia suspiciendo.

UT ET

Pl: Reverendis & Clarissimis Viris

Consist: Eccl: etiam ADSESSORIBUS gravissimis,
Regii Gymnasii LECTORIBUS & ADJUNCTIS
ingeniosiss: ac solertiss: Promotoribus & fautoribus meis, ho-
noris & obsequii cultu prosequendis.

FAUSTA QVÆVIS ET OFFICIA.

 d Vos etiam me pari Reverentia converto, Admodum Reverende Dn. Pastor, Pl. Reverendi Consistoriales & Clarissimi Lectores reliqui ac Adjuncti, quippe qui ut primum ac plurimi mei Praeceptores & reliqui Benefactores Eximii, me a teneris, quod ajunt, annis sedulo informando, feliciora tradidisti elementa, sic hunc, qualis demum fuerit, vobis ut sacrare sponte volui, ita vel maxime debui, exercitorum Academie corum finem prope ultimum. Est quidem ipsa in se materia digna qua ventiletur, ego autem humane fragilitatis obnoxius, balbutio non raro, cæcuteio plerumq; non parum quin lapsus me iterum erigam. Hoc tanto magis Vos O Mæcenas, Patroni & Pronotorum benevoli, obnixe admodum & reverenter rogatu venio, velitis tenuitati isti, quam in lucem erit daturum hoc exercitium, ex vestra gratia, ignoscere, meq; ipsum cum Dei auxilio ad penates felix rediero, solito vestro favore amplecti & promovere ceu illum, qui vobis ab officiis & honore semper digno adesse, quam maxime geslit. De cetero Deum precor, ut diu felix vivas ejus Ecclesiæ, vivas Patriæ, Tueq; Amplissime familie, Admodum Rev: Dn. Pastor, floreatis in super Vos Pl: Rever: Dn. Consistoriales, ac rem ubiq; prospere geratis Cl:Dn:Le-
ctores ac Adjuncti, una cum suis sibi delectissimis, Deo quicquid commendari.

A VESTIS NOMINIBUS

addictissimo

H. W.

PEREXIMIE DOMINE CANDIDATE,

Un eo quidem recte à te factum esse arbitror, quod vim
ingenii eruditis monstraturus, id ipsum feceris ora-
tione candida, tum sœcundo rerum complexu. Non
adparent heic terminorum aliunde emendatorum
ridicula congeries, non per crines contorta disposi-
tio, non elocutio vacillans & debilis; Sed doctrinæ
saceritas, sed deductionis planitas, sed ea dictio[n]is gratia, quæ cu-
tiolum lectorum juvat, delectat & pari celeritate instruit. Inde
mirari subit, quid cogitant illi, qui scripta sua tam studiose obscu-
rant & sine ratione ac judicio emittunt, *Quasi sapiens orbis, non
jam didicerit à tritico discernere paleam.* Nunquam ex temporum
Historia aliquis ostendet *Gloriam DEI, Honorem regnantium, li-
terarum robur, & salutem populorum his fulcris sustentatas, poti-
us ex illo morbo enatam sectarum multitudinem, libidinem jurgan-
di, & varia stratagemata hodieq[ue] ali.* Taceo priscorum sapien-
tiam; ad propiora si deveniendum tempora, invenio Aqvilam
Theologorum Chemnitium, sine ista larva, ita sanam religionem
promulgasse, ut quidquid nunc divulgent eius filii, inde habeant.
Video legis prudentium & provinciarum jura, illas cruces plane
negligere. Video Galenos & Hippocrates nunquam ex ista ma-
teria morbos sanasse aut de signis capere auguria. Ipsi Philo-
sophi sive contemplationi incumbunt, sive actione utili-
ta honesti naturam inquirunt, intelligunt satis, se non alio
malo, quam hac parte confundi. Oratorum, Poëtarum, Histori-
corum palladii, ab augusta sua sede talia segregant, tamquam fu-
mos styli, rerumq[ue] fordes. Non tamen putabit aliquis me scho-
lastica omnino damnare; absit tanra à meo pectore vecordia; id
tantum volo, ne ex iis, quæ toto coelo diversa sunt, mixtura fiat di-
sciplinarum & horrida confusio, à qua penitus abhorrent omni-
um Academiarum sublimiora studia. Itaq[ue] merito laudo con-
tos Tuos Dn. WUISING, qui de tyrannidis natura, & principatu
Tiberii methodice, perspicue & accurate disputas, Neq[ue] dubitabis
quin diligentiam tuam justo præmio coronet propediem, regi-
ma Mundi SAPIENTIA.

adpos: fest:

DANIEL ACHRELIUS.

IN
VIRIUM ERUDITIONIS MODESTÆ ET PEREXIMIÆ,
DN. HAQVINUM WIISING
SMOLANDUM,

Philosophiæ Candidatum insigniter meritum,
De TYRANNO ET TYRANNIDE,
In Magisterii Philosophici Specimen, graviter &
solerter disputantem,

Ode GRATULATORIA:



N, scandit hoc theatro
In publicam cathedram,
Laboris officinam,
Virtutis hanc palæstram,
Honoris hic brabeuta,
HAQVINUS ille WIISING,
Sophiesq; Candidatus,
Meditatus ac paratus
Commilitumq; tela,
Argutiasq; vafras,
Strophasq; captiosas,
Jam strenuus subire,
Laudatus hinc redire.

Nempe excutit TYRANNI
TYRANNIDISq; tetræ
Varios modos furendi,

Varias

Varias vias premendi
Subjecta colla plebis ;
Disquirit, an sit æqvum
Regimen tenore legum,
Placito quod est Tyranni
Nixum, ferentis illas
Solum, ut cupitq; amatq;
Leges suos in usus,
Non commodo perenni
Populove subditisve.

Quare precemur omnes
Zephyros satis faventes
Nostroq; Candidato,
Fidoq; Patriotæ;
Pergat Deus favorem
Sic deinde prorogare,
Augere, duplicare,
Quo cuncta sponte cedant
In nominis Jehovæ
Laudemq; gloriāmq;
Ecclesiæq; veræ
Solatium beatum,
Patriæ simulq; dulcis
Felicitatis omen !

Scripsit L. Mg;

PETRUS LAURBECCHIUS.

Tyranni-

AMICISSIME DR. WISSING,

Tyannidem, omnium lernam malorum, omnisq; in repb; exitii causam ac genericem existere, vel exinde luculenter patet, quod etiam Neronis per vim omnia exercentis imperiu non fecit diuturnum. Causas vero & remedia adeo præcipitis mali indagare opera præmium est. Ego existimo præter instabile Fortunæ genus, nunquā constanti beneficio quemquam dignatum, levem etiam Principum, & vel nullo vel levi fundamento nixam, atq; temere plerumq; in hos aut illos propendente inclinationem: Qyanquam enim Principum inclinationes, prout nullis adstrictæ legibus, nullisq; cohibitæ pœnis, varie sint, præcipue tamen amore, crudelitate & avaritiâ trahuntur. Amor ut affectus jucundissimus, ita levissimus & maximè inconstans: quippe pleriq; Regum quos alio tempore eximia charitate diligebant, hos carceri turpisissimo mancipantes, ruinæ proximos dant. Crudelitas vero, ut affectus severissimus, ita absq; extraordinaria sumpta vindicta vix placabilis. Illa enim est, qvæ civitates fecerat, corruptæ, evertit, extirpat. Illa est, quæ ubi in regibus locum habet, in subditorum odium incurrit. Avaritia, quamplurimos novimus laborasse Reges, quorum exempla in mediū adferre nolumus, qui subditos nimia tributorum exactione tanquam excoriarunt. Et licet, subditi, ut subditi, patienti superioris severtiâ ferre animo adeo teneantur, ut sanctitatem summi imperii devota mente agnoscentes, fuga potius viræ suæ consulant, quâ majestati resistant: inde enim multa incommoda resultant, scaturiunt. Tamen cum nullū homine animal ferocius, nullum in tam diversa vitia flexible, contra omnia qvæ suam compagem eunt destruendum munitur: Ac licet ingentib; cornibus dentibusq; prominentibus, ut quædam animalia, non sit formidabilis, dolis tamen manibusq; tanquam instrumento ad lædendū utitur. Sæva deniq; desperatio vexat: gementes sub jugo miserios: Et saepè desperationis causa est. Inde languor & macies, tabes dira, morbi infames præsentissimumq; exitium. Venio jam ad illud cuius causa Tibi congratulari volui, nempe ut per ardua & difficilia eniti sustinuisti, inq; artium liberalium officina virtutisq; palestra sedulo studiis ineubuisti: Ita Musæ in te meritò præmia contulerunt larga. Vigeas igitur vivasq; in multis eosq; felicissimos annos, metam omni expeditam votu nactus, vergant omnia Tua studia in Divini nominis gloriâ, reipub: utilitatem, parentumq; solatiom.

T.

FREDERICUS von Preus. Nob: Svec:




Ipsarum cum LECTORE linearum COLLOQUIUM.



Ccasione, ut videt Candidus Lector, nostrum dedit Natalium, Exemplam Tiberii Cæsaris apud Tacitum in ejus Annalibus. Quid autem non momenta singula, que de illo proferunt sex isti libri, intra nostra recondere viscera, Auctori visum fuit, ne admiretur Lector, rogamus: Quippe cuius propositum fuit, summa tantum tangere, quamvis nec ea omnia, passa est fatorum injuria, eum dignè perséqui & modo debito. Præcipue enim ei animus fuit, Cœsarem Tiberium egisse tyrannicè, plane ostendere, tum etiam ut idem occasione meliori perficeret, paucis tantum in genere primum agere voluit de Tyrannorum moribus, imperio ac vita. Diximus de Tyrannis. Eo ergo nomine, non credit B: L. nos representare aliquam Democratiæ faciem, Aristocratiæ turbinem, Oligarchiæ auctorem aut Oclocratiæ instigatorem: Sed qui imperium summum unicè obtinens, omnia ad utilitatem domesticam, trahit publicæ salutis curâ neglectâ, is demum nostrum nobis vivere, nostros dedit nervos, conciliavit venas. Insinuamus pariter dehinc ipsi Humaniss: Lectori nec nostri esse genii vitam Tyrannorum, in Idea, ut loquuntur, Abstractâ, iam expendere; & quamquam Concretum hic amplectimur, aperte tamen juxta fatemur, nos non attendere (ut in genere agimus) ad indolem ac naturam ulli-

us certi aut praeiniti individui : Sed nostra est intentio, gestus
exprimere & modum rimari, quo non Tyrannus tantum titu-
lo, nec tam administratione sola, quam & titulo & administra-
tione junctis malus Princeps, solet Rempublicam vastare, im-
perium perdere & de sua illam deturbare prosperitate, ipsi
ipsius bellum quasi indicens felicitati maxime Civili, non ra-
ro etiam eternæ. Hec nostra Conditionis indoles. Hec insti-
tuti jam ratio. Ecce autem, cum nobis testes simus, coram Le-
ctori agere tam Familiari; magis operam dabimus, quo auctori
nostrri mentem noscat. Medium hic iter ingredi constituit,
nec intra cancellos maxime coarctatos ligatus, nec in sua li-
bertate justo liberior. Quippe, qui cogitavit methodum
disputandi observare in Oroualoyia & neayualoyia
tradendis : sed liberum esse, in iisdem libere explicandis. Adeo
nulla hic noditas. Nullum prorsus capienda novitatis studi-
um. Paucis. Amorem tantum affuisse discendi cupidum dixe-
rit, quisquis mentem ejus intimè pessixerit, nobis quando
nostrum in manus tradidit dulsum, dedit vestitum. Quod
quidem nos non schematibus quibusdam Rhetoricis, digne adeo & ex morito testamur, quam Germanaside & simplicitetu, idem lectori insinuasse decrevimus. Demus enim, nos mi-
nus bene vestitae, non ad palatum omnium, utinam tantum
bonorum, esse excultas & ornatas linea. Sit hoc nostrum,
nec vitio id vertatur auctori. Scilicet homo est, ab ipso
nihil humani alienum esse putemus, quod & ipse expe-
tit. Inde etiam reliquit idem argumentum, aliis ventilan-
dura hoc nostro gestu dignius, si non modestius. Nunc nobis
nihil porro restat aliud, quam Candido Lectori sausta que-
vis preccemur, ejus paulo proprius subitura, examinis sinceri
modestè moderatam Censuram, stigmate nos censuram Censorio,
utinam candidè erecto. Vale.

IN NO-



IN NOMINE SACRO - SANCTÆ TRINITATIS,
SECTIO PRIMA
§. I.



A est Mortalium omnium *Conditio*, post factam, puta, divini mandati transgressionem, ut neglecto Virtutis studio, una cum educatione probâ, à recta via deinceps maxime devia hæc *Conditio*, Vetita semper faciat, honestatisq; prorsus immemor, quod justum est, vel plane non intelligat, vel si noverit, eò tandem pravitatis deflectat, ut id se ignorare prætendat, opere ipso sub fuco id sæpius ostendens. Scilicet vernabat printum homo in paradiſo, ut pulcherrimus quisque sine ulla fraude flos: at statim proh dolor! sepsit gratiam istius floris spina plus satis maligna, spina nobis omnibus simul noxia. Certè ne minus ingratè prolixí, id operose probare nitamus, vel ab ipsis idem constare præsumimus, quos sustinent terrarū orbitæ, *Tyrannorū* moribus: Qui quamvis vel nos taceremus, ipsis tamen manent pennæ Aquilæ, quæ aliarum avium pennis admixtæ, easdem devorant. (α) Manent etiam talia schemata, quæ optimæ adumbrant indolem ac naturam *Crocodyli*, concedentis *Trochilo* aviculæ carpere escam è faucibus suis, non quidem aliquo illius amore, sed causa sui ipsius: nam repurgat os illius suo rostro. (β) Breviter, si quid de suo ipsis concedunt *Tyranni*, id semper faciunt com-

A modi

(α) *Plinius in libro suo 10. Cap. 3.* (β) *Plinius lib. 8. Cap:25.*

modi in sepe Majoris causa. Nam est ut alias loquitur alibi *Comicus* (γ) *Pecuniam in loco negligere, summum interdum lucrum fuit.* Et noster *Tacitus* (δ) *Civilis & Classicus rebus secundis sublati, an coloniam Agrippiensim diperiendam exercitibus suis permitterent dubitavere. Sevitia ingenii & cupidine prede ad exidium Civitatis (Romæ scilicet) trahabantur, obstabat ratio belli, & novum imperium inchoantibus, utilis clementiae fama.* Unde illa misera, vel tum ut saepius alias dicere consuevit querula: *Ubi defensionem quererem, jam extitit periculum. Quam felix hostibus tradita fuisset, eorum potius spectaculum, quam civium derisus.* Ab illis autem incolulis servata, nunc dilaceror manibus, quas servatrices haberem. Nos vero ad propositum.

§. II.

Est autem illud ipsum nomen *Tyrannus* origine suâ Græcum, quasi à τείρω vexo, affligo, traductum, & in ipsâ confusione Babylonicâ traditum, apud ipsos præsertim Auctores, non minus quam alios, significans *Regem* (ε) Quidque qui mortales ad huiusmodi Majestatis dignitatem admovebantur, prius spectatâ inter probos illorum virtute, *Tyranni* vocati sunt ob fortiora facta. Adeoque ipse jam valeat inter plures Nicolaus Fullerus, qui (ζ) dixit originem vocis hujus esse Syriacam & deducendam à nomine isto proprio *Tyrus*, ut *Tyrannus* idem hic sit, ac diceres hominem

(γ) In Comœdiâ Adelph. Act. 2. Scen. 2. (δ) lib. 4. Historiarum Cap. 63. punct. 1. 2. (ε) Ex sententia Troii ex Sorano (ζ) Miscell. lib. I. cap. II.

minem moribus & conatibus Tyriis præditum ac invisum. Qvippe hoc lubricum fundatum temere supponit idem nominatus Fullerus, quod qvidquid detur vocum, id ex linguis orientalibus traheret Originem, in cæteris vero linguis primitivum nullum dari, quod per se tale sit (n) Qvatenus vero priores Tyranni Reges dicebantur nobis ob oculos quasi ponit Cornelius Nepos (o) ubi dicit: *Nam Chersonesi omnes illos, quos habitarat annos Miltiades, perpetuo obtinuerat dominationem, Tyrannusq; fuit appellatus, sed justus, non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate, eamq; potestatem bonitate retinuerat.* Proxime etiam sequentia verba adde, & plus intelligas. Quippe omnes & habentur & dicuntur Tyranni, qui potestate sunt perpetua, in ea civitate, qæ libertate est usa. Scilicet hæc nostra est sententia, fuit Miltiades Rex potestatis, ab ipso setantum abstinenens nomine. Qvibus adiice C. ibidem 2. punct, 3. Idem prorsus ex Pluth. habebis, quando dicit (p) Regem & nomine & potestate præpollere simul, tyrannum autem potestate solâ. Nec enim hic spectat dictum ex Actis Apostolorum. (q) Qvippe ad suos vadat *Tyrannus* nomine suo proprio, nos commune nomen hic qværimus. Ut autem nec cum illis simus, qui statuunt vocem hanc ex primâ suâ impositione a liquid sinistri denotasse: contendimus nos quod jam & tempore aliquo post primum, eò tandem ventum sit, ut nomen hoc *Tyrannus* ad illos tantum transferri vo-

(n) Job. Christ. Hundeshagen in Politicus p. 121. (o) in vita Milt. c. 8. Sult. punct. 3. (p) pag. 161. (q) cap. 19. vers. 9..

luit antiquitas veneranda, qui legum Osores & juris
contortores, vi solâ & tantum ex suo animi fastu, lace-
rabant ipsas Respb: superbè & immanes, suum exercen-
do imperium. Unde Tacitus : *Si caderet Marcellus, reo-*
rum agmen sternebatur. Adeo enim in turbas &
disordias pessimo cuique plurima vis est: Verum pax
& quies bonis artibus indigent. Hæc sententia no-
stra. Nam altera illa, in initio hujus parag: indigi-
tata, plena est novitatis studio, & conficta videtur ex more
hujus seculi, in quo nihil valet, nisi quod à via trita & rece-
pta aliquantis per recedit; nec quidquam credit esse doctum, nisi
aliqua nomina flagellaverit (λ)

§. III.

Erit proinde Tyrannus Magistratus, cui soli sola illa
& mémenti certè maximi Reipb: salus se submi-
fit, ea tamen in tantum abutitur hic idem, ut ad sui
animi libidinem explendam, per fas & nefas tendat,
spretis legibus & convulsis optimorum Principum sta-
tutis, vivendi & simul probè imperandi datis perfe-
ctissimis regulis. Nunc autem expergitere O
patria, Deo tuo hymnos cane O terra, psalle, o-
va, & gratias gratissimas eidem tribue O Sve-
cia, tu Dei peculum, quia ejus in te fuit beni-
gnitas, quæ Regem dedit suo numini devotissi-
mum, tibi o patria & tuæ saluti auspicatissimum,
Quippe qvi juste imperandi studio, invictâ in
hostes

(λ) *Johannes Christoph. Hundeshagen in Pol. pag. ut supra 131.*

hostes manu & in subditos misericordia, ita
 præ aliis fulget, ut verbo Sancte testor, à vir-
 tute tam grandi, quid nisi insigne, Regium &
 ipso mortalium voto, magis adhuc gloriosum
 est nobis sperandum & expectandum? Quo-
 circa & una mecum jam dico. Vivat Cle-
 mentissimus noster Rex CAROLUS XI. vivat
 precamur felix, regnetq; diu, quam diu Dei in
 nos Misericordia illum nobis, quod exaudiat sumum
 illud numen; superstitem, una cum totâ suâ Sere-
 nissimâ familiâ reservare voluerit!! Sed miseras
 dicas gentes, quas nos, statu rerum nostro salvo,
 male afflictas, cogimur interdum aspicere. Ve-
 rum quale illis, dedit monitum Tacitus: *ulteriora*
 (puta Tempus Reipb. liberæ) *mirari, praesentia sequi,*
bonos Imperatores dato expetere, qualescumq; tolerare, sapientia
 erit. Sed mavis forsan definitionem Tyranni
 perfectam, quapropter erit Tyrannus *Magistratus,*
 preter *mores & leges violenter imperans.* Wendelinus.

§. IV

Ex hisce liquido constare arbitramur, nequaquam a-
 liquém à nobis nominari Tyrannum, qui animi
 vel corporis vel utriuscq; ægritudine aut segnitie de-
 tentus, curam Reipb: aliquo modo seponens, parum
 sufficit tantis molestiarum ferendis ponderibus. Scilicet
 sunt hæc nostræ infirmitatis apertissima documenta
 (ut perplurima jam alia taceamus) quod alios igna-
 via,

via, qvi dicendi Principes negligentiae; alios mentis impotentia, nonnullos stoliditas, à Reipb. debitâ administratione arcendâ amovent, minus diligenter e-jusdem in Curiis occupatos. Tum multis etiam mediis dies est, & fatigatis necessaria quies (^u) Et quid jam dicamus, quod quâ se negotiorum demittit jugum, ingens plerumq; sollicitudinis vorago, multarum curarum concursu cavata, mentem imperantium distrahere solet? Sufficit dixisse, nos omne hoc à supina quadam negligentia, & ea, quâ de industria qvis curas Reipubl. quibus interesse potuisset, relinquit, hic remotum & separatum volumus. Ea namq; oscitantia etsi adhuc tyrannidis vitio paulo fuerit inferior, proximum tamen gradum & occasionem esse Tyrannidis, sine ullo dubio fatemur, in quam & facile degenerare potest. Sic Tiberius *Armeniam à Parthis occupari; Mysiam à Dacis Sarmatisq; Gallias à Germanis vexari neglexit: magno dedecore imperii, nec minori discrimine* (^u) Sic undecim per annos amoenis Campanie & Capreorum locis delituit. Sciani libidini vel casibus fortune urbem objectando (^u) Tacemus iam Domitianum, bellandi dum privatus esset cupidissimum, adepto vero principatu, adeo ægre ac parce arma expeditentem, ut muscas captatas stylo peracuto figere & mox ferrum in jugulum civium stringere, tutius sit arbitratus, teste eodem Auctore. Et porro dicendum, illud quoq; Sole ipso esse clarus, Tyrannum

vitia

(^u) *Curtius lib. 4. cap. 4.* (^u) *Suetonius in Tiber. c. 41.* (^u) *Cyria: Lentul: de arcanis Regnorum cap. 5.*

vicia non arguant privata, utpote intemperantia, luxuria, libido, fastus &c Siqvidem constituant principem non quidem moraliter bonum, sed inde non statim Tyrannum gignunt: & si hoc ipsum admireris; dicimus id inde esse, qvod non directè impingunt in Reip. salutem. Eſſet quidem nobis ampla diſcurrendi via iam patefacta de ipſa intemperantia: Sed nec illa Tyrannum planè constituit, niſi quando princeps uno qvafī fulmine, omnium promiscuē, ſive uxorum, ſive virginum expugnat pudicitiam. Tum enim non manet amplius ſimplex vitium & privatum, ſed injuria quædam Tyrannica, illata totius Reipb. ſecuritati (v) Adeo jam Tyrannus eſt, qvi ſibi plenè proponuit nocere publicæ felicitati, qui mente hoc peragit deliberatā, nori qvi nihil agit contra Rempubl. directè. Denique & ultimo huc maximè redit & illud, quod tyrannus etiam agat *tyrannice*: aliis vero aliquis, vel caſu quodam exorbitare potest. Damnamus proinde habitum, unum vel alterum actum excuſationem mereri, noſtrum erit de facili evincere. Certè contra torrentem niti, aut inveteratas longo temporum curriculo conſuetudines evellere, ipſa eſt difficultate. Et Spartanum defuper innutritum pulveri ſudorum, ægre ad otium compellas literarum. Sed ſemel aberravit probus, & illi dehinc tanto majori, non tantum fuit dolori, ſed etiam emendationi.

Jam accedit etiam illud, quod nec nostri sit instituti, illorum tyrannorum hic expendere mores, qui alias alicuius potestati subjecti, in commisso sibi munere, voluntatem suam tyrannicam faciunt testatam, & de publicæ salutis jactura & interitu lætantur & laborant. Qvorum exemplis maxime abundat historia Romana, eoqve magis, quo sœpè honestas rerum caufas, ni judicium adhibeas, perniciosi exitus conseqvuntur (o). Qui quoq; exitus, erunt omnibus illis, ipsa jam re certò instanti, magis certi & præsentes. Nam ut verum est illud Sallustii: *Faber est quisq; sua fortune. Sic, qui fodit foveam incident in eam* (x). *Quia sequitur superbos ultor à tergo Deus*, Seneca. Sin exemplo rem declaramus, sufficerit forsan dixisse, quod serò quidem strepente tn: propemodum bello, excitatus Meleander cepit nominis sui, & causæ, propter qvam, purpuram accepit meminisse (π). Adhæc non jam de Miltiade Athenis constituto sermo nobis est, (ρ) nec Themistoclem putamus, testarum suffragiis ē civitate ejectum, ob nimia potentiæ luspicionem (σ): quā & Miltiades damnatus (τ). quia illos inter & cives non fuit aliquia potestas Regia. Accedit etiam, quod nemo fidliter diligit, qvem odit, si adeo plane jam taceamus, nihil esse perennans, cui non ratio pro fundamento adest.

Et qva-

(o) Tacitus lib. I. Historiarum, cap. 83. (π) Proverb: 26. v. 27. (π) Argenis Barclaji lib. I. pag. II. (ρ) ut ex Nepote in D. t. Milt. (σ) idem auctor in vita eius cap. 8. (τ) idem in vita eius cap. 8.

Et quare quæsto? quia licet felicitas aspirare videatur, ad ultimum tamen temeritati non sufficit (v) Nedum ullos hic tyrannidis insimulamus, qui tyrannorum titulo & administratione, tantum suspiciose infamantur. Nam nihil sub Sole vivit, quod non potest male narrando depravari, quod bonum sit excipiendo, & maximè mala referendo. Nec extitit aliquid, adeo unquam eximum, quod non semel male audiat. Proporro & observa illud, quod hic loci immemores etiam sumus ipsius adeo dominatus, qui ex mente qvorundam, medium quasi obtinens inter Regem & Tyrannum, propriam primum & inde subditorum curam habet; utriusque, sed cum qvadam discrepantia communis. Quapropter eos tantum hic convenire volumus, qui ut soli summam potestatem obtinent, ut Reges'; sic eadem in tantum abuti non cessant, ut ad privatam unicè respicientes utilitatem, publicam sub pedibus calcent, & haud immerito Reipb: oppressores æquè rectè habentur, reverà ac sint, eandem è tranqillo ad scopulum inferentes, re ipsa planè ad restim redeuntes. Sic corticem jam detrahas, si nucleus ipsum cernas, & personam ipsam des, si propius paulo in mores inquirere velis. §.VI.

Mores proinde Tyrannorum ubi intuemur, nobis quidem consciū sumus, nostri intellectus caliginem, si non universam rei faciem auferre, partem tamen discriminis prohibere conspici. Consistunt interim illi, partim in eo, quod ut Rex, salutem Reipub: unicè ac primum intuetur, eandem fulcire summoperè tentans:

(v) Curtius lib. 4. cap. 14. B 2

Sic Tyrannus in omni re dissimilis, proprium commodum iusquè munit, & genio suo indulget, dictæ Reipub: detri-
mento maximo, nec non excidio non raro totali, ceu
tradit Arist. (φ) Aliter longe boni principes edocti,
vel à se ipsis sibi persvasum habent, illud Platonis
(φ) *Nemo in aliquo principatu imperans, quatenus Princeps est, quod sibi conferat cogitet, aut præcipiat; sed quod subiecto conducat & quod dicit, queque facit, ad illius utilitatem decorumq; facit & dicit.* Scilicet Rex est, qui sibi o-
mnia postputat esse, præ Reipub: commodo: Sed Ty-
rannus nunquam sanè spem pretio emit, qvin statim
rem facit suam. Qvibus omnibus adde, quod qvis quæ-
so tot ludibria fortunæ, tot ducum agminumque mul-
tiplicem cædem, fugam devictorum mente proseqvi,
aut scripto exprimere potest? qvot excitant? imo in to-
tum & solidum tam perfectam confirmarunt mortalium
miseriam impietas, sui oblio & impostens ille animus. Nam
bella etiam nutrit Tyrannus, ut debilitet Reipb: opes,
cum etiam illis in hostem iam intentis, ipse interea-
tutus sit, ab eis, quibus se alias pœnas gravissimas
dare debere, conscientiâ accusatore, solus conscius sibi
familiare habet. Inde jam veri vicem obtinet vel il-
lud Taciti (χ) *Ita paucis diebus por licentiam absurpta sunt illa, que adversus necessitatem in longum sufficiens.* Adde et-
iam falsissimas Tyrannorum *opiniones*, quasi ex mente
ipsius Caligule in momento omnia ipsis in omnes liceret:
& ut intermittam dicere ac hic recensere illorum *su-
spiciones*, qvas vel ipsi timent, vel sinceris omnibus
incom-

(φ) s. Pol. 10. (φ) Lsio 1. de Repb. (χ) Hist. 4. c. 22. punct. 2.

incommodo sunt. *Nam & Caligula eti commotus in-
genio, simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat.*
(x) Vel illud memorasse nos oportet, qvod eor illorum
palpitatione assidua & fluctuante, tales omnes inquietet,
ad locum Curtii (y) Scelerati conscientia obstrepsente, cum dormi-
re non possint, agitant eos furie, non consummato modo, sed cogi-
tato parricidio. At mihi securitatem, primum innocentiam, deinde
tua dextra obtulerat. Confer locum Taciti, sum-
mi istius inter Historicos Politici (z) Quippe Ti-
berium non fortuna, non solitudines protegebant, quia tor-
menta pectoris suasq; ipse penas fateretur. Hinc refer-
remus Dionysium, cui carbo candens pro cultro fuit
tonsortio; nec taceremus Neronem, qui, qvo plures
habuit vigilum sespites, hoc eo magis timuit: nisi
sciremus LECTOREM ipsum addere Heliogabalum, si-
bi funes parantem fericos, & referre in numerum
horum, modo dictum Caligulam, cui semper ad ma-
num venenum fuit, ut ipsa habet Historia, & ex ea etiam
testatur Vendelinus (a) de qvibus videatur fusius disserēs.
Aristoteles. (a)

§. VII.

Fuere jam ipsi mores, si non ad ultimos ultimi: po-
tiores tamen & maximi. Nunc adest schema
& quædam imago ipsius tyrannidis acquisitionis &
ejusdem conservationis: quibus arctius junctis, non
minimam demoliuntur imperii partem ipsi Tyranni,
& naturam profecto fatigant, si minus eandem sub-

B3

verte-

(x) Tacitus lib: Annal. 6. cap. 45. punct: 8. (y) lib. 6. cap. 10. in
Apologetica oratione Philote contra Alex. (z) lib. Annalium 6.
cap. 6. punct: 3. (a) in Politicis cap. 10. pag. 144. (a) s. Polit. II.

vertere possunt. Acquirunt autem Tyranni sibi hanc grandem, subditis vero maximè noxiā potestatē, primum tituli & honestatis specie fulgidi. Scilicet si ad posterius illud oculos mentis reflectimus, egregiè aliàs locutus fuisset Nabarzanes ad Regem Darium; modo non affuisset dolus (β) Verum enim vero, eo jam res devenit, ut ille ceterique parricidæ, procumbentes humi, quem paulo post in vinculis essent habituri, sustinuerint venerari (γ) Has autem suæ obscuræ honestatis Sarissas, emittunt iidem illi, de quibus sumus locuti, Tyranni, ipso interdum electionis stigmata, idq; ut maximè vel voto, si causam, quam diceremus effectricem; vel sorte, si modum amaveris ipsum. Ad hæc hoc etiam accedit, quod in hujusmodi, vel respicere possint ad primam familiam, vel ad omnium ex subditis unum. Ab ipsis inter alios nobis exemplum petendum est Lydiis, qui cum tyrannde essent oppressi, cognoverunt Cymæ morari virum quandam præstantem, quapropter missa etiam legatione, inde eum evocarunt, quem deinceps, ut erat in officina fabri plaustrarii servus inventus, eum cum servitute ipsa, Regem assumserunt, pretio soluto. (δ) Alias enim, etiam minus procedunt ad imperium honesti, cum gestus suos ita componant, tamquam essent jure & merito successioni proximi, & ista aureâ catenâ eidem annexi, quâ devinxerunt Tyrii simulacrum

(β) Curtius lib. suo 5. cap. 9. (γ) Curtius lib. prorsus eodem cap: vero 10. (δ) Heræclides in libell: de Politia, in Cymensiam Politiam.

acrum Apollinis, aræque Herculis, cuius numini & urbem dicaverant, inseruere vineulum, ne urbem defereret Apollo, sed Herculis causâ renaneret. (ε) Quippe, qui jam suum jaëtant stemma, jam sangvinem explicant, jam leges evolvunt affinitatis, interdum emptionis leges, alias permutationum recessus proponentes, aut donationis recensentes libertatem. Hinc si etiam testamentariæ dispositionis seriem noverint, ignoro plane, in quibus sibi servire neglicerent, subditis suis futuri parum utiles. Et ut hic non adeo strictè quidem, obligamus nos differere de electionis aut successionis præminentia. Sic etiam dicimus spem bonam augurio falli, ubi Saul aut alius degenerat in tyrannum. Ex illis autem, qui sine titulo per fraudem & vim regna sunt sortiti; Si pede ut ajunt sicco transiremus illud Barclaii (ε) *Animos maxime dabant Cleobulo, quod Rex fili e, quam unicam habebat, tante hereditatis fortunam destinavit.* Solum nominasse nobis sufficerit Philippum Macedonum Regem, (ut Nimrodum taceamus) quippe qui veluti è speculâ quâdam libertati omnium insidiatus, Græcorum civitates, quas singulas dominandi libido, ad imperandum fatuè erexit, sibi subjectas fecit. (ζ) Quid mirum? Èa enim naturâ fuit, quam nullo tædebat modo turpiter vincere; & inde adeo blandum pariter & insidiosum eum audires in alloquio, qui promittebat plura, quam præstabat, in seriis sagax, in jocis artifex, ipsam deniq^{ue} amici-

(ε) *Cart. lib. 4. cap. 3. de oppugnatione Tyri (ε) in Argenide lib. i. pag. ii. (ζ) Curcius in supplemento.*

amicitiam utilitate, non fide colens (¶) Et licet sub
judice adhuc lis sit, an occupando tantum, se Tyranni
titulo infamavit, an injuste administrando si-
mul: adeo tamen ab illo fuit maximè alienum, juste
regnum in omnes occupasse, ut dictum. Qvoniam
& hic dixisse nos voluimus, etiam ipsius id esse juris
naturalis, Dominio victoris illud justè subjici, quod-
cunque ab hostibus vià justâ & modo justè legittimo
fuerit captum, illis, puta, erectum.

§. VIII.

Inter alia perplurima, quæ suam sibi justam vindicant
laudem & encomium, dixeris etiam illud Curtii, non
loco suo digno indignum adeo fore, cum dicit; faci-
lius est quedam vincere, quam tueri: quam berculè expedi-
tius manus nostra rapinat, quam continent (§) Monitum
vere aureum! monitum quod menti infigatur tena-
cissimæ dignissimum! Qvia cuius tanta est utilitas,
tam necessaria cognitio, ut cum bonis omnibus sum-
mè sit scitu necessarium: Sic vel malorum plurimos,
hac in parte aliorum principum lusisse artem & vi-
cisse industriam, testatur ipsa Historia. Scilicet in
suo malo minus segnes, in hoc unicè laborant dicti
illi Tyranni, ne imperii sui commodo vacui, citius po-
testate sua excidant. Hoc ut melius præoccupent,
habent inter alia multa suæ astutiæ propugnacula, et-
iam quam plurimos, qui anxiè explorando ac defe-
rendo, exquirunt singulos subditorum animos, quo
noscat

(¶) *Justinus libro suo 9. cap. 8. (§) Curtius in oratione legati
Darii ad ipsum Alex. lib. 4. cap. 11.*

noscat ipsorum hoc caput, qvid quisque civium de se sentiat. Qvibus qvodammodo adderemus, nisi cuique nota esse arbitraremur, verba ista Curtii (1) Nec quidquam ignorabat Rex eorum, qvæ invicem erant jactata, cum post auleam, qvæ lectos obduxerat, staret. Demus Principem debere habere suos emissarios, quibus de se judicia hominum cognoscat, si alio modo statum suum & se tutari non possit: sed ut præter cautelas alias, etiam graviter puniat falsa deferentes, nec finem delationum in Reipb. intendat interitum, sed conservationem. Scilicet solent ut plurimum hi, quo major eorum merces sit, falso obiicere Tyraño, vel re quavis gratiorem prædam viros maxime Nobiles, Consiliarios & eorum liberos. Jam etiam eo ventum est, diceres, ut Conventus subditorum, vel maxime prohibeant Tyranni, ne illi se inter noti sint, sed qvæsi peregrini semper maneant & nullum prorsus inter se sermonis habeant commercium, de sua miseria, de legum violatione, de suæ deniq; salutis periculo, aut de alio qvovis. Qvæ notitia & familiaritas illa, qvam conventus hujusmodi, ceu prolem felicem progenerant, fidem ut plurimum peperit. Qvæ consiliorum graviorum mater. (x) Non tamen volumus nos hoc in negotio adeo peccasse, ut hæc dicendo, cum illis faciamus, qui tanq; pro aris & focis in eo pugnant, quod liceat subditis armis insurgere adversus Magistratum, occupatione legitimum, ut ut administratione improbum, si quando

C

conve-

(1) lib. suo 8. cap vero 5. (x) Jobannes Christ: Hundesba-
gen in Politicis de Tyranno pag. 132.

convenire possent. Quia si subditi hoc tentarent, cum amplius non verba punienda sunt, ut loquitur Historicus, nam eorum temeritas pervenit ad gladium (x) Quid potius hæc eorum regula sit, ferendū quod aliter se habere non potest, voluntate præsertim ipsius Dei. Patientiam æmulentur militum Darii, quorum quidam, occupatis jam proximis rivis, diverterant longius, ut quidquid occulti humoris usquam manaret, exciperent (u) Quid taceamus ipsum eorum Regem, qui maluit iter in sequentibus dare, quam auferre fugientibus? His demum adde, si minus prolixos nos fore desideras, ipsa M. Terentii verba apud Tacitum (v) *Non nostrum est stimare, quem supra ceteros & quibus de causis extollas.* Tibi summum rerum judicium Dii dedere: *nobis obsequii gloria relicta est.* Adde insuper verba Poliarchi (s) *Nec me aliud Meleandri partibus junxit, quam quod illius calamitas omnibus gentibus abominandum exemplum est, que quietem nunquam agent, si vitiis principis irasci licet & insidiari bonitati.* Hæc planè illi Ethnici, quid nos Christiani? Modo non Rempb. in totum eversum eat Tyrannus, nam in tali casu, dicitur solvi vinculum inter subditos & ipsum (o) Verbo; alias Tyrannus est, in cuius imperium consenserunt subditi, & alias, in cuius non jurarunt: Si prius illud fuerit, sibi imputent, ipsiq; suâ sententiâ habeant, quidquid acciderit adversi. Si posterius, licet utique per jura natu-

ræ ag-

(x) Curtius lib. 8. c. 9. (u) Curtius lib. 4. c. 16. (v) lib. Annal. 8. cap. 8. punct: 5. (o) in Argenide Barclaii. pag. 14. (s) Straemannus cap. 2. de Repb. in specie.

§) 9 §

ræ aggressori & Reipb. hosti jurato resistere (π) Nee enim nobis sunt acceptanda verba Curtii de Cratero (σ) non aliam præ mendī in mīcī occasiōnē aptiōrem futurām ratus, odio suo pietatis ſpeciem præferens: ut à ſimi- li argumentemur. Factum ipſi adeo homini feroci deteſtandum. Scilicet voluit Craterus Philotam interire ex mero ſuo in æqualem odio, quem cauſa nondum damnaverat ipſa. Dictum de illo. Et ſi placet conſer ulterius Curtium (σ)

§. IX.

Dehinc Tyrannis maximè in more poſitum eſſe, ſubditos inter, etiam ejicere diſcordiarum aleas, & inimicitiarum gravifſimas ſariſſas, loquuntur ipſa monumenta, reſonante Doctorum apprimè conſono choro. Ut autem taceamus rixas illas leviores, quæ non raro inter leviffimos fluctuare ſolent: vel grandiorum in agro hanc ſuam ut plurimum ſpargere ſolent zizaniam. Non raro etiam ſolent plebem committe-re cum Nobilibus, & pauperes cum ditioribus: aut ad ultimum ditiffimos quosque inſtruere adverſus Nobiles. Qvippe quibus, animo labefactandi nervos Reip., inſtructi ſunt à Tyranno calumniatores, qui odii cauſas fingunt & diſcordiæ ſemina eliciunt, diſtractis jam adeo civium animis, ut contra Tyrannū nihil poſſint, me-tu partis ſuæ adverſae. Ne longius abeamus, ipſe nobis ad-ſit Philippus Macedonum ut teſtis, ſi de Tyrañis, intellige prælertim occu-patione tales: fuerit ſermo. Cognoscas ro-

gatus rerum seriem. Scil: solent *ingenia* *moresq;* compomi
ad principum mentem; omnisq; ferè temporum inclinatio regnan-
tū infamia, vel decus est (τ). Sed quid hisce īmoramus? Quid
altius perpendam⁹, qvalem vultum jam referemus. Cer-
tē queratur jam ipsa illa Cœlestis militia, ploret Cœ-
lum, lacrymis fessa qvasi occumbat ipsa terra, ac ipsi
nos pro lætā lugubrem, pro albā atram quandam no-
bis meritō induamus vestem: Cum nec pietatis ful-
cra, nec justitiae fundamenta, nec omnis Rerumpb. sa-
lutis firmissima fulcimenta, ipsos putamus scientiarum
fontes & artium liberalium fœcundissimas nutrices,
SCHOLAS, vereantur tollere, necare & interdicere
hi perversi. Scilicet imitari, aut æmulari potius gesti-
unt istum Caracallam, qui non contentus passim se
abolevisse Scholas Aristotelicas, etiam ipsos libros,
sapientiae Thesauros exussit & fecit flagrare. Atrox
factum! factum probis omnibus, imo & bestiis hor-
rendum & detestabile! Quidque qvarum plurimæ cor-
poribus jam sublatis, ipsam tamen casam relinqunt
intactam. Et demus interim reperiri Resp. parum
literatas. Fateamur juxta, esse multas alias civitatum
columnas, quibus stant, florent, vigent ipsa regna, po-
puli & gentes. Quid enim in suo flore retinuit
Thebas? Quid alias barbaras gentes? Si tamen rem
recto judicii oculo æstimemus, quid sodes Respb?:
quid civitates absqve scholis? aut quid denique regna,
sine literario hoc regno? Diceres, veræ istius felicitatis
civilis qvædam umbra, somnium. Quidque qvæ unicè li-
teris & virtuti prudentiæque suam debent vitam, su-

(τ) Freinsheimius in suppl: in Curt. c. 3. p. II.

um vivere, suum esse, si modo *è bene esse & vivere* intelligis. Paucis. Etiam sine Magistro discuntur vita: sed cum quādam molestia, coniunctum omne omnino quod pulchrum est. Qvinimo etiam est tunica pallio semper propior.

§. X.

Circumspicias jam velimus undiq;, mente etiam e-
volvas optaremus, quidquid inter solem orientem
& ejus continetur partem occiduam: Adde etiam
te posse explicare, quidquid perversè fuerit intricatum.
Modos tamen si gestires investigare omnes,
qvibus munire laborant suum atrium ipsi Tyranni, vel
ultra, te victum, ne partem quidem obtenturum eo-
rum minimam, facile fateberis. Certè; vestiunt de-
hinc iidem illi suæ Tyrannidis corpus eo ipso, qvod vi-
ros de Repb. optimè meritos, viros fidos, viros heroes &
in Rempb. incorruptos amoveant, aut è medio tollant,
ut ex otio & lascivia, eorum magis lasciviant animi, nec
leniter sæviendo, magis sapere videantur, prorsus igna-
ri, quid serus vesper vehat. Quid quælo Cæsar Ti-
berius contra Germanicum? (7) Et quid de illo Ta-
citus (v) Diceres eo rerum statu, ad qvemlibet sexum
& ætatem, omnis penetrare mali sensum. Puta, qvan-
do imperat Tarquiniana illa papaverum decussio, &
qvando aliquos eadem levi de causa ferit, quandoq; in-
cognita & indicta causâ, supplicii fit irrogatio. Et hoc
eo magis, cum soleant non raro hi ipsi, cum Maria
SchotiæReginâ, repudiatis propriis civibus, exterorum

ut illa Italorū. exposcere tutelam: peregrino se munitu-
ri satellitio, ne debitas dent pœnas illis, quos se læfisse, ipsi
testes sunt. Nam nos semper existimamus, eum, qui
nihil mali commisit, nullam metuere pœnam, istis au-
tem aliis *esse ipsam conscientiam grave quoddam pondus* (φ)
Sed interim ut auceps fistulâ modulatur, illice allectat,
escam projectat, donec caveâ volucrem conclusam
teneat: Ita & ipsi Tyranni, ut incautos magis decipi-
ant subditos, speciem qvandam exhibere ut plurimum
solent, Magistratus maximè circumspecti. Non qui-
dem negamus, vero aliquando adstare & illud Piso-
nis apud Tacitum (χ) *Nemo imperium flagitio quaesitum,*
bonū exercuit artibus: Sed apertè hoc facere illos, qui
sibi magis providi salutari cupiunt, est quod inficias
ibimus. Sic namque alibi Tacitus (ψ) *Inde verse ad*
*Tiberium preces, & ille varie differebat de magnitudine impe-
rii, suā modestiā, solum Divi Augusti mentem tanta molie-
capacem: se in partem curarum ab illo vocatum, experiendo di-
dicisse, quam arduum, quam fortune subiectum regendi cun-
cta onus.* Proinde in civitate tot illustribus viris subnixa,
non ad unum omnia deferrent. Sed quis sensus? qvæ ver-
borum sententia? Plus in oratione tali dignitatis, quam si-
dei erat; Tiberiog̃ etiam in rebus, quas non occuleret, seu na-
tura, seu desuetudine, suspensa & obscura verba: Tunc vero ni-
tenti ut sensus suos penitus abderet, in incertum & ambigu-
um magis implicabantur (ω) Sic etiam Tiberius primus
fuit, qui comitia ē campo ad Patres transtulit (ω) Qvod
ipsum

(χ) Cic. l. suo 3. de natura Deorum (χ) l. Hist. l. cap. 30 punct. 3. (ψ)
Annal. l. c. II. punct. 2. 3. 4. 5. (ω) idem ille ibidem (ω) l. Anna. I.

ipsum nihil aliud erat, qvam specie quadam & fuso,
recti jus omne populo adimere (β) Sic voluit Tibe-
rius paulatim insurgere, facile sciens, quod auceps cu-
pidius contrahens, aves, quas capere morā poterat,
territas abigit. Nec mirum. Qvæ enim solito citi-
ūs pullulat herba vel arbor, levi ventorum vi dejicitur,
vel à se ipsa humore destituta exsiccatur: quæ ve-
ro radice altius fixâ, paulatim insurgit, ut non cresce-
re eam, sed crevisse videamus, in immensam proce-
ritatem, duritiè suâ roboratam, exit.

§. XI.

Demum eò tendunt, de qvibus differere constitui-
mus Tyranni, ut animo in bonum publicum inimi-
co, de industriâ civibus inopiam conciliant, mili-
tibus sua subtrahant stipendia, & ut adeo taceamus, qvod
operam omnem ab illis exigant gratuitam, vel hoc i-
psum in rem suam fore præprimis existimant, tribu-
ta augere & vestigalia ipsa facere intolerabilia, in
interitum puta Reipb: Nec de hac re dubites. Qvippe qui
vel certo certius intelligūt, inopiam civium, tegmen fore
densissimum, suæ in Rempb: astutiæ, suæ simul pravi-
tatis. Hinc illud Simonidis (γ) *Non latatur Tyrannus opibus subditorum, cum subditi habeant naturam equorum, qui, quo plus avene devorant, eo sunt petulantiores.* Nec inter-
rim est, qvod arguas nos τυράννοις, quando paulo
prius de eadem mali principis in subditos feritate
egimus. Qvin satius attendas ibidem ad ejusdem
imores;

(β) Cyriacus lentinus cap. 4. de arcana Regnum (γ) ac-
pud Xenophontem in Hierone

mores; hic autem eandem ejus ferocitatem, ut medium suæ conservandæ Tyrannidis, examines & demonstres. Et hinc adeo porrò retulisse voluimus, illos omnia joco dicta & bene prolatæ, sinistre etiam interpretari. Consule alias Historias, qvære in monumentorum omnium scriptis, percurre etiam seriem rerum, iam inde à primordio gestarum: & si nobis fidem habere digneris, nihil sanè aliud reperies, ac fortè ipse vix dubitabis. Quid enim aliud Charidemum istum Atheniensem, Martis pullum & ob exilium non amantem Alexandri, sed suæ sortis, juxta & Regis sui Darii superbiæ immemorem, è mortalium cœtu hinc rapuit? verè hercule respondentem Regi, & quidem eo orationis suæ ornatu, qui latet indoctos & multos adhuc eorum ridet, qvos fastus fecit eloquentissimos. Unde Curtius ibidem (δ) Sera deinde panitentia subiit Regem: ac vera dixisse confessus, eum sepeliri jussit. Adeo jam hominum naturam plerumque corrumpit fortuna. Qvippe erat alias Dario mite ac tractabile ingenium (ε) Sed res profecto secunde acrioribus stimulis animos explorant, adeo ut misericordia tolerantur, felicitate corrumpimur (ζ) si hoc de bonis fuerit certum, quid quæso de malis censendum? Scilicet semper loquuntur libentius cum fortuna nostrâ, quam nobiscum (η) Siquidem bonis quietis est cura, aliis afflicta fides in pace, sed rebus jam maximè turbidis, sunt alacres, & per incerta tutissimi.

§. XII.

(δ) lib. six Hist. 3. Circa finem capit. 2. (ε) idem autor. ibidem
 (ζ) Tacitus lib. Historiarum 1.C.15. punct. 5. (η) Tacitus ibidem.

Si demum iter, qvod ingressi conficiamus, & negotio
jam suscepto, ex parte tantum minima, nos pares
futuros desideremus, reqvirit jam ipsa rei necessitas, ut
Tyrannos non tantum hoc titulo legitimè insignitos;
sed etiam ad ultimum eos hic intelligamus, qui numeris
omnibus absoluti, tam miserè terram vexant, fatigant
montes, & subruunt singula excelsè optima. Qvo-
circa etiamnum properaturi media eorum tyrannidis
servandæ explicare, proporro hic testamur maximam
eorum esse consuetudinem, quod prioribus hisce sua-
rum optimarum virtutum tentoriis haud sane contenti,
etiam dehinc mulieribus imperium in maritos, & ser-
vis in Dominos licentiam concedere, adulatores ama-
re, quos in graves ac viros cordatores immittant,
sibi tutissimum fore commodum, Reipb. vero detri-
mentum perniciosissimum, imaginentur & judicent.

(§) De Singulis certè constat, nam duo hæc priora
genera, imperio & libertate valde delectantur, quo fit
cum videant se Tyranni beneficio suum desiderium
esse consecutos, illi intimè favent & prius quam pati-
untur libertatem datam, sibi è manibus extorque-
ri, produnt certè ac Tyranno cognita reddunt servi
dominorum, & uxores consilia suorum maritorum.

(§) Quid multis? de horum altero exstat illud Pli-
nii (§) Non enim jam servi, Principis nostri amici, sed nos
sumus: nec pater Patriæ alienis sè mancipiis cariorem, quam

D

civibus

(§) videat; Arist. ll. cc. (§) Joh. Christ: Hundeshagen in Po-
litice & quidem in suis annotatis ad Tabulam xl. (§) in paneg.

civibus suis credit. Ipsorum autem adulatorum habemus limpidissimum quoddam speculum, in Agis Argivi fraude & Cleonis Siculi adulatione. Scilicet ut alia multa non tangamus, sufficerit tacuisse, quod honestarum artium professionem, malis corrumpebant moribus; (x) tacuisse quod illi in gratiam Regis irridebant optimum istum Græciæ libertatis vindicem Calisthenem (λ) etiam tacuisse pariter quod hic eorum derisus, non parū adjuvit odium Alexandri imo & in tantum ut dum illi deinceps ut antea ipsis maximorum exercituum Ducibus à Rege præponebantur: Ille suam innocentiam testari necesse habuit morte, puta injustâ, imeritâ & blasphemâ. (μ) & de qvo pri⁹. Sic tulit prudenter & moderatè suam fortunam orientē ipse Alexander, ad ultimum magnitudinem ejus non cepit. Qvocirca non audimus hic modo dictūm Adulatorem Cleonem, dicentem: *Perfās non modo pie, sed etiam prudenter reges suos inter Deos colere: majestatem enim imperii, salutis esse tutelam* (ν) Nam quæ pietas est Deo eripere, quod suum est? aut quæ prudentia ei credere, qui se Deum stolidâ persvassione credit? Proles certe monstri est, parente ipso peior, exhibere se pro numine colendum. Proinde dices Asiæ & Europæ Regem, tunc introductam inter convivales ludos, sibi matrimonio adjunxisse superbiam illam Persicam, quæ deinceps esset imperatura victoribus. Et hinc adeo fiebat, quod abierant ē convivio aliquando cœ-

(x) *Curt.lib suo 8. &c.s. (λ) Curt.l.citato c.citato (μ) idem autor. lib.eodem c.8. (ν) Curt:l: 8c. modo citato.*

do ceteri invitati ab Alexandro Arnici: Clytus solus si-
nelumine, diceremus, amplius planè neutiqvam lucen-
te; vestibulo ipso sangvinem deplorante, ipsius jam
Regis convivæ (o)

OMNIUM AUTEM JAM DICTORUM CLAUSULA.

*Tyrannus per vitiosas omnes partes definitur & non nisi in
perniciosum finem tendit, in tota sua latitudine vitiosus est, &
illigitimus, adeoq; nihil habet, quod à Deo sit, cui subdit pro-
pter Deum obligati manent: qvousq; scilicet ipsis non in-
pingendum fuerit in gloriam Dei & præceptum chari-
tatis, verba Arnisæi (π) En autem! quid mirum est?
videmur nobis per millium milliaria audire voces di-
centium: *tradas compedes, quibus obnoxium arci oppidum
nobis devinciamus, cives captivos habeamus: nam qvidq; id re-
pugnas & quantumcumq; nobis, servies imperia nostris, ut sub
munitionibus his circumtremat vel omnis regio, istic
recepis, hinc effussis armatis.* Verba horrenda! verba tre-
menda! nam iisdem erga subditos, quibus prima pro-
degerant, redeunt sumptibus, cum rapacissimo cui-
que, non agri, non fœnum, sed sola vitiorum maneant
instrumenta, qvæ ut ipsis libido, sic rubor ac dedecus
penes omnes sunt. Hinc miseras (ut dictū supra) gentes,
qvibus tale quid obtingat! Coēant certè in foro atque
ibi nocte perpeti fortunam publicam uestibus iterent:
Nulla imprudentia pueros, nulla debilitas senes, nul-
la sexus imbecillitas mulieres domi teneat. Alii su-
am calamitatem defleant, alii cum privatis casibus
querelam publicam misceant. Neq; tamen eorum hic*

D 2

erit

(o) *Curt. I. 8. c. 1. § 2. (π) I. 2. de Repb. c. 3. sectione 6. parag. 45*

erit miles, qui eos hinc eximat, neq; eae vires, qvibus
vincere illis concessum sit. Ergo rursus repetens, jam pa-
riter dic: Gratias agemus Deo illi immortali, qui harum
miseriarum iunctures, commovemur tamen misericordia
erga alios, quo nullus nisi Deus, solus Deus ab hujusmo-
de vindicans, inquiete reponere potest. Hæc in Genere.

SECTIO SECUNDA

Sectionem exegimus primam, cuius jam fuit negotium,
statum questionis proponere, Tyrannorum experide-
re mores, discernere vitam, proferre probationes.
Eorum, qui alibi in orbe affliguntur, referre mi-
seriam: Jam autem dabit, Deo Duce, sedio hæc
altera, speciale illud, quod diu admirati, iam sapienter
commemoravimus, nec dum explicavimus, Tiberii
Cæsaris exemplum; quamvis non omnibus nume-
ris absolutum, E ad singulas Tyrannidis notas ex-
plicas, plane sufficiens.

§. I.

Laudem certè omnimodam æquiores ē populo Ju-
dices, ipsi tribuebant iam defuncto Augusto, idq;
adeo, qvod ejus insignis modestia, non dictaturā, ut
Cæsar, non regno, ut Tarquinii, sed principis curā
Rempb. administrabat. Qvibus etiam adde fructus
relapsæ in monarchiam Reipb: Scilicet sublata fuere
foris bella, domi seditiones, & at multa transeamus, fuit
in portum subiecta navis, quæ fluctuum insultu, qvæ
piratarum assultu, quæ rectorum & nautarum ad ul-
timum

timum turbato officio labefactata, felici tempestatum
 commutatione, luctarum suarum obliscebat. Quid
 pe adhuc liberâ & ad summos honores via omnibus
 patente, efferbuerunt animi cupiditate bellandi, & ubi
 hostis defuerit, domi quæ situm. Omnibus autem ex
 unius jam pendentibus nutu, subsederunt animorum
 ebulliens ardor, seditio oriunda & bellorum sparsum
 fūmen. Sed misera proh dolor! famæ comparandæ
 semita est, deterioris cuiusq; surrogatio: Nec solidâ
 fama ea est, quæ non ex virtute sua propriâ, sed ex
 aliorum comparatur infirmitate. Scilicet fuit hic Tiberius
 Divi quidem Augusti privignus & adoptione
 filius, sed ut properis suæ matris literis ab Illyrico
 accitus; ita juxta ferox & superbus fuit, qui nihil mo-
 deratum, nihil vulgare, aut civile peregit spirans. Hinc
 senectute Augusti gravi morbo defatigata, extolle-
 bant sermone vano pauci, libertatis nullo pretio æsti-
 mandæ nobilitatem: plures temporum gnari ob
 animorum dissidium civile bellum paventes exsecraban-
 tur, quod alii, sive longæ pacis commoda non feren-
 tes, sive fortunâ suâ perditâ, solatium ē communi ru-
 inâ quærentes, votis expetebant. (e) Interim vero successit
 Tiberius exanimi suo, patri magis astu suo & Matris
 Liviae, quam Patrum præcedente voluntate. Diximus
 eum astu, patris solum obtinuisse. Audiamus enim
 Tacitum (e) vix dum ingressus Illyricum Tiberius, properis
 matris literis accitur neq; satis compertum est, spirantem ad-
 buc Augustum apud urbem Nolam, an exanimem reper-
 rit. acribus namq; custodiis domum & vias sepperat Livia: le-
 (e) Si Lentulo fides sit (p) I. suo Ann: I. c. 5. p. 4. Et si tique

sique interdum nuntiū vulgabantur, donec provisī, que tem-
pus monebat, simul excessisse Augustum & rerum potiri Nero-
nem, fama eadem tulit. Confessi quidem sumus nos i-
psi in paragraph (σ) quod inde verše ad Tiberium preces
fuerint &c. sed quomodo? coacte puta & necessario,
imperio iam longe prius ab ipso occupato. De se-
natū ergo merito jam dicimus, quod exprimit alias
Curtius (τ) de militib[us] Alexandri Magni, *omissa* igitur,
quam portaverant, aquā; materiam aridam in incendium
jacere cœperunt. Confer etiamnum Tacitum (τ) sed
defuncto Augusto, signum prætoriis cohortibus, ut impera-
tor dederat. excubiae, arma, cetera aulae. miles in forum, mi-
les in curiam comitabatur. literas ad exercitus, tanquam ade-
pto principatu misit: nusquam cogitabundis, nisi cum in se-
natū loqueretur. His adeo iam claris, quid multis opus
est referre cædem Agrippæ? quin potius dicamus hac
occasione, ipsum Augustum non tam ingravescente æ-
tate, quam uxor, ut credebatur, dolo, rebus humanis
elle eruptum; postquam scilicet Liviæ fuit vulgatum,
non alieni eum animi fuisse, in modò dictum Agrip-
pam Nepotem, insulâ Planasia conclusum. De quibus
si quæ dubitas, adi Tacitum (υ) & quidem scelus uxoris suspe-
ctabant. Adeo jam nec parcit aris, nec foci, sacra illa domi-
nandi libido, quin etiam quos conjunctissimos vita ipsa
habuit, non expectato fati die, haud raro distrahit.

*Nota interim ad verba modo allegata Taciti, quod quam-
quam suspicio à generosa mente & virtutis candidi amante,*

recedere

(σ) 10 Sectionis prime (τ) lib. 5. cap. 7. (τ) lib. Annal. 1. c. 7.
punct. s. (υ) l. Ann. 1. c. 5. p. 1.

recedere videtur: tamen ubi Signa praecesserunt rei, que pravam mentem ad facinus perpellere potuerit, prudentia eam in castra suâ admittit. Quid nec omnia suspicionis falce, nec nihil demetendum: illud animi maligni, hoc negligentia soluti (φ)

§. II.

Non figit gradum in eo Tiberius, quod Rempb. speciosus invadere potuisset, sed ulterius progreditur totâ suâ vita suspicax, ferox, Tyrannus. Ut autem id melius intelligamus, eamus visuri ejus sententiam in curia, inde accedamus cum eo domum, tum (modo brevitas admiserit) quid apud populum egerit attentes, etiam provinciis exantlatis, qvidquid in totû sit molitus, apprehendemus. Quippe quæ novo principi, quæ adulto, quæ persone, quæ dignationi, quæ imperio propria, quæ item dignitati aut securitati destinata sint: illud per se erit notum & manifestum. (χ) Qvâ de causâ etiam illud hic tacemus. Qvâ vero in Curiam mente fuit, ut inde ordiamur, illam nobis ad ungvem usq; exponit dictum Salustii Crispi, quod & tanto magis, utpote bonum & egregium, amplexus est Tiberius, quanto nec cogitavit aliter ipse, cum Tribuno custodiæ tantum ludens, vel se ipsum eo modo excusatum iturus. Scilicet metuens Crispus, ne ille reus proderetur, monuit Liviam: ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur: neve Tiberius vim principatus resolveret, cuncta ad senatum vocando. Eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni redatur

(φ) Cyriacus Lentulus de arcanis Regnorum c.10. p.223. (χ)
Clar. Bæcl. in suis dissert: pag. 412.

datur (ψ) Addimus etiam ad prius dicta hac in parte, Tiberio tantum (quod & rectius) mentem fuisse speciem quandam præbere Senatus Majestatem augendi, ut eo facilius illam omnem, suo revera arbitrio subderet, & inde pro suo arbitrio, misso justo & æquo, ageret. Ubi notatu dignum, hanc ejus Monarchicam potestatem, turpiter vituperandam non esse, utpote Deo invisam: quippe qui censum reddendum jubet ipsi Cæsari, tum imperanti Tiberio (ω) qui & ipse tributum pendebat (α) ut jam taceamus, quod ipsi sapientissime placuit imperii eorum licentiam, injecto principatus quasi capistro, refrenare & servitutem, quā sociis gentibus illuserant, in auctores vertere, extorta ē manibus, quā in suam & nationum perniciem usuri erant libertate. Quid & ipse imperii genius monarchiam quam maximē requirebat. Audire velis rogamus (β) multa Antonio, dum interfactores patris ulcisceretur, multa Lepido concessisse. Postquam hic sacerdotia seuerit, ille per libidines pessum datus sit, non alius discordantis patriæ remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. Unde concedimus Senatores & populum tolerasse debuisse Tiberium, adeo iniuste facientem, usque quo non impingeret in legem Dei, Naturæ & fundamentalem; ulterius autem non. Quamquam vel haec ultima non adeo absolute obligat, ut non possit aliquando mutari, exigente sic Reipb. necessitate. Salus namque Reipb. suprema lex esto. Jam autem plura
qvidem

(ψ) Tacit. lib. Annal. 1. c. 6. punct. 6. 7. (ω) Matth. 22. v. 21. (α)
Matth. 17. v. 27. (β) lib. Annal. 1. cap. 9. punct. 4.

qvidem argumenta, de perverſā Tiberii ſententiā in cū-
riam indē merito proferremus, qvod ſcilicet permifit
ſuam ſententiam interdum oppugnari (γ) quod pla-
nēurgebat Consules, aut alios quosvis velle in ſe de-
rivare imperii illud graviflimum onus, quod hume-
ris ejus imposiſum erat (δ) quod etiam retulit ad
Senatum negotia ſibi expediunda (ε) Sed cum hæc
& talia ad verticem uſque egregiè explicat Clariss:
noſter Bœclerus (ζ) tuſſecerit nobis cum Tacito mi-
nuſ tacito concludere (η) dicendo: *favorabili in ſpeciem*
eratione vim imperii tenuit, censuſq; quorundam Senatorum ju-
vit. *Qvo magis mirum fuit, quod preces M. Hortali nobi-*
lis juuenis, in paupertate manifeſta, ſuperbiuſ accépiffet. Ve-
rum nobis mirum minime. Qvia Tiberii intentio e-
rat dominatio abſoluta omnimodè, puta, qvæ parte
ne minima foret circumſcripta, hanc autem ſe vel
ſine illius indultu obtenturū videbat. Verum putare de-
buiffet Tiberius, ad omnem deinceps vitam pertinere, qvalē de
ſe opinionem in animis hominum incipiens Imperator excitat.
Nam plerosq; mortalium ita eſſe comparatos con-
ſtat, ut eum rerum eventum expectandum putent, quem ex
principio ſuccellum ſpe aut formidine praeceperunt. Aſt vel tem-
pore iſto, res eō rediit, ut quamquam verum ſit, qvod
circumiecta nemora & petræ, quantamcunq; accipi-
unt vocem, multiplicato eandem ſono referant: Nec
illud tamen neglectum fuiffe Comici videamus: pro-
ximus egomet mibi. Nam ſolum meorum ſolus, misero

E

ifti

(γ) lib. Annal. 2. c. 39. ſ. 40. (δ) l. An. 4. c. 9. p. 2. (ε) l. 3. An. c. 60. punct. 1.

(ζ) in ſuis diſſert. pag. 413 (η) 2. l. An. 8. 37. p. 1.

isti nihil debo, nec Lazaro sum misericordiā obligatus. Sed esse discat parcus, qui vult evadere dives. Adeo divitiarum partus, est ipsa superbia. Qvamq; aduersus miseris inhumanus est iocus: quia *ut res se se omnibus nobis dant, ita magni & humiles sumus* (9)

§. III.

Cum qui immoderatè festinat ditari, non sit innocens & ipsi adeo inopiæ multa defint, avaritiæ autem omnia. Videamus interest, quâ insolentiâ, hi tractare solent legum codices & in his etiam Cæsar Tiberius, cuius vita jam est pro exemplo. Scilicet quo securius & magis obscurè omnem vim legum omnium solutam, suo arbitrio subjiceret, & ille in totum atque solidum earum immunis maneret, suis humeris imponi curavit omnimodam protectionem latæ, & potestatem legis adhuc ferendæ. Unde Tacitus (1) *nec patrum cognitionibus satiates, judiciis assidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret; multas, eo coram, aduersus ambitum & potentium preces constituta. Sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur.* Jam demus Tiberium in imperio suo habere plenam & absolutam potestatem, quæ verba requirunt liberum & absolutum imperium, dant jus irrevocabile & concedunt potestatem super omnem populum. Nam devicto Pompejo, jecit Julius Cæsar ipsa fundamenta perfectæ cujusque Monarchiæ, qvam quoq; quantum potuit erexit; adauxit vero ipse Augustus, sed non adhuc aperta quadam vi, cum putarit omnem subitaneam mutationem fore pericolosam: *quia quamvis sint* (9) *Terent: in Hecyra.* (1) *L. 1. Ann. c. 75. p. 1.*

reme-

remedia, si tamen fuerint violenta, morbum ferè accendunt,
 & pro salute properat celerem perniciem afferunt. Donec
 hic Tiberius majori qvadam auctoritate res gerere
 cœpit. Verbo, moderata Augusto, enormis Tiberio
 fuit simulatio. Interim hic plane taceo illud, qvod
 nec videmus Curtium, quando profitetur regimen
 Macedonum (z) & narrat: *in pace erat vulgi; nibil po-*
testas Regum, nisi prius valueret auctoritas. Nam conce-
 dimus jam proporro Tiberium legibus solutum esse,
 adeo ut easdem quidem superet, non vero contrarie-
 tur: adhuc tamen eum obligat [ut paulo supra mo-
 nuimus] Jus ipsum Divinum, Naturæ & leges funda-
 mentales. *Equidem leges naturales & divine omnes homi-*
nes, qibus late sunt, obligant, & earum transgressores pena
coram tribunali Divino decernenda manet (x) *Unde etiam*
lege Regia, non quidem absolutum dominatum, seu potestatem
nullis circulic circumscripam, sed tantum juris constitutionem,
qvatenus illa non impingit in modo dictas leges & Reipub:
salutem: nec ut illam abdicet, sed cum populo communicet: in
Tiberium à senatu, & populo collatam esse afferimus cum
Liebenthal (μ) Fatermur etiam & hoc justum esse, qvod
præscribat princeps majestate gaudens leges, necessi-
tate sic exigente rerum, sed ex verbis Isocratis (ν)
leges qvæ in universum æquas & utiles & inter se consen-
tientes: atq; etiam tales, que & controversias civium quam
paucissimas & compositiones quam fieri potest celerrimas effi-
ciant. Quid autem in contrarium egit Tiberius? Ille

(z) lib: sue Hist. 6. c. 8. (x) Nobil. Dn. Puffend. l. 8. cap. 1. (μ) in colle-
 gio ejus Politico, Excerpt. 7. pag. 371. (ν) ad Nicoclem.

etiam certè immiscerit vim dominationis (si honesti
taceamus tyrannidem) quare de illo Tacitus (o) la-
tabatur Tiberius cum inter filios ejus & leges senatus dispe-
ctaret. *Victa est sine dubio lex, sed neg, statim & paucis*
suffragiis: quomodo etiam cum valerent, leges vincebantur.
Sibi hanc fuisse mentem, vel ipse fasilius est, dum a-
perte conquestus fuit, ipsum illius jus, naufragium
quasi pati, quam primum non ipsi in manus tradita
potestas, summum obtineret vigorem, sed eam coar-
ctarent legum limites. Qvod ipsum ita Tacitus ex-
ponit (π) *Ne verterent sapienter reperta, & semper placita,*
satis onerum principibus, satis etiam potentiae, minni jura,
quoties gliscat potestas: nec utendum imperio, ubi legibus agi
possit. Audias certe, quod vix credas, Scilicet ipli-
us etiam Augustæ nimia familiaritas, ut maximi
semper apud Tiberium ponderis fuit, sic etiam pro-
pinqvum locum obtinens, rem eò adigit, ut sepulto,
quod omnium legum capistrum sibi amoverit, etiam
Augustæ verbis quosdam legum valori exemerit. Qva
de re Tacitus (o) Ast Cæsar Tiberi, si civium bene-
volentiam, benevolentiam dico solidam asseqvaris, de-
ponas svasores tibi sumus tyrannidem, & pro fictis
virtutum simulacris veras illarum apprehendas ide-
as. Iustitiæ observantissimus videri quidem velis;
liberalitatem, quam aversaris, exerces; Clementiæ fa-
mam, homo atrox desideras. Sed istis honestarum
rerum umbris, tantum umbrosam civium conseqveris
venera-

(o) lib. 2. An. cap. 51. p. 3. (π) 3. lib. An. c. 69. punct. 3. (p) l. 2. An. c.
3. 4. punct. 3. l. Annal. 3. c. 15. punct. 1. & 2. lib. Annal. 3. cap. 17. punct. 2.

venerationem. Armorum specie hostem, vel subito adventu, vel tenebris incautum, terrere solent: Sic prorsus simulatione tectâ, ignaros aliquandiu in admirationem sui rapiunt: propius accedentes, & detectâ personâ, veram faciem intuentes, non movent.

§. IV.

Esse insuper boni principis suæ Regiæ domus cu-
ram habere, testatur omnis sana ratio, loquuntur
scriptorum monumenta, & consilio prorsus pruden-
ti, ipsa id ipsum vult experientia. Sed etiam hac in
parte, præludium quoddam obscuri cuiusdam sche-
matis daturus ipse Tiberius egit ille speciosus Magistratū,
ut putabatur, apprimē bonum, etiam in suos. Scili-
cet diximus quidem in paragrapho præcedenti, Tib-
erium evexisse qvoscadam Augustæ causâ, ipsas supra leges:
Sed qvâ cogitas fætentiâ? qvo putas consilio? Certè, ut hoc
ipso sibi stabiliret imperium. Facto iam hoc, cogitavit
arcana domus ad dominationis arcana referri. Exigi debere,
juraq; cognitionis cedere juribus imperii (σ) Omissio igitur
quod inter dedecora principis refert Lentulus (τ)
fidei & perfidiae in pactis & fæderibus præstantiam, ex usu
tantum discernere suo. Qværimus nos an Exempla vis?
Eadem ut demus novissime gestimus, quæ alia causa
foret verborum Taciti (υ) quorum summam hic re-
feremus, quod scilicet male Tiberium habebat, & inde occasi-
onem primam suæ in suos tyrannidis sumebat, quod absq; per-

E 3

missu

(σ) Clariss. Baclerus in dissertatione sua 16. (τ) de arcanis
imperiorum cap. 5. (υ) lib: Annal: 2. cap. 59. punct. 3.

misu, ejus Egyptum ingressus fuisset Germanicus: quam hoc Tiberiu in cognatos mala mens? in agnatos pravus affectus? & odio fervens, quamquam non aperto, ejus animus: Et ut taceamus jussu Tib: Nero: occisam fuisse matrem ejus, teste Lent. (v) constat, quod *Defunctorum, nec dum sepulto Germanico, curiam ingressus est. Consulesq; sede vulgari per speciem maiestitiae sedentes, honoris locique admonuit, & effusum in lacrymas senatum, dicto gemitu, simul oratione continua erexit.* (v) Scilicet novit quam optime Tiberius, quid inde esset acturus; nam Germanici cineribus jam allatis, & omni ad exsequias effusa Italia, luctu puta, qui modum quasi nesciat, præpeditum publico abstinere: Druſo autem unico filio extincto ejus, non omissis publicorum negotiorum curis, omnem luctus formam amovere (v) Expressimus & pariter prius (φ) etiam hoc ipsum inter reliqua Tyrannorum, suæ servandæ tyrannidis media, unum & sanè non exiguum esse, quod tyrannus, in id laborat, ut viros optimos è Repb: amoveat, si non modo qvovis alio, vel eo maxime, qvod eidem æmulos constituit vehementissimos. Admirari tibi licebit, nisi hoc idem de Tiberio, contra Germanicum, ex nostro audias Tacito (x) *Sed preter paternos spiritus* (de C. Pisone loquitur) *uxoris quoq; Planicie nobilitate & opibus accendebatur.* Vix Tiberio concedere; liberos ejus, ut multo infra spectare; nec dubium habebat, se delectum, qvi Syrie preponeretur ad spes Germanici coercendus. Et ut res tota appareat, addas rogamus punctum

(v) cap. 7. pag. 200 (v) *Tacit. I. Annal. 4.* (v) *Cyr. Lent.*
 (φ) in parag. puta 8. sect:1. (x) *lib. 2. Annal. c. 43. punct. 6.*

Etum sequentem, & plus intelliges. Credidere quidam da-
ta & à Tiberio occulta mandata, & Plancinam haud dubie Au-
gusta monuit muliebri emulazione Agrippinam infectandi.
Adeo jam mere tyrannica fuere, que ad Agrippinam &
Germanicum pertinent, sed colore politico vestita, teste Cl:
Bæclero (a) suffragante Tacito (a) Qvia si quidquam
turbidis Germanico adfuissest, aut si obedientiam exuere ipsili-
busset, actum fuisse diceremus cum Lentulo, de Tiberii
salute, de publica tranquillitate. Sed nihil movebat. Ni-
hil prorsus perversi, contra publicam P: R. quietem
animo complectebatur. Scelere tamen (ut credebatur
Pisonis & Plancine) (a) mortalium commodis eruptus obiit,
ingenti luctu provinciæ & circumiacentium popu-
lorum: P. R. exclamasse: concidisse Rem pb., nihil spe reliquum
esse! indubitate verum est (a) Qvocirca exulat tui animi
integritas, Tiberi, migrat sermonis candor, labefacta
tur amicitiarum debita sinceritas. Omnia jam assen-
tando plena, plena deferendo, plena prodendo: Nee
status, quam vite & morum facta est quedam mutatio. Pror-
sus idem hic spectare licet, quod suo tempore accidit
militibus Alexandri Magni, qui quando Asia non
dum paruit ei, in honore fuere & pretio: inde autem
ad pedes usque tantum non prostrati (b) omisso, quod
Asiam petiturus, omnes, qui ipsum sanguine attingebant, inter-
fecit. (b) Scilicet omnimode vere dixit, quisquis de-
mum fuerit mortalium: felicitati nihil deest, nisi modera-
tio. Unde Livius: minus insoleste, quo magis res prospere.

Qvip-

(a) in diffuisis Pol.p.415. (a) per e.53.l.An.4. (a) Tac.l.3.An.c.16.p.1..
(a) Tac.l.An.3.c.4.p.2. (b) Curt.in loc.mul. (b) Cyr.Lent.cap.5.p.141..

Qvippe nusquam diu eodem stat vestigio fortuna. Et inde ab alio expeſtes, alteri quod feceris. Proinde ingenium temperandum , ac ipsa severitas comitati miscenda. Alias de male quæſitis, non gaudet tertius hæres. Eſt enim, ut aliás loquitur Freinſhemius, (γ) magno rerum experimento probatum, neminem magis patere fortune, quam qui pluribus ejus blandiciss inretitus, iugum illius tota cervice receperit.

§. V.

Jam promissi nostri facile memores, constituimus qvi-dem adire populum, consulere de hac tyrannide milites, ac simul exterios ipsos testari &c. Sed quid dicceret tum, nobis unicè cara brevitas? quid non difſaderet sumptuum sumptus? Scilicet vel is impri-mis nos, utpote auro omni destitutos, coget monendo, medio in hoc cursu subsistere & pedem quasi figere. Interim tamen si unde ſic potuit Tiberius in tantam ſuę Tyrannidis molem excrescere , à nobis qværendo, paulo altius rimari velis : referimus nos hoc, responsi loco, una cum Clarissimo Bœclero nostro (γ) (apud quem & etiamnum intacta ſis habiturus) quod inde hæc ipſi in manu tradebatur fortuna prava, quod Augustum consecravit , quod mirus fuit occultandi ſui animi ſenſa, quod didicit formare ad decoram ſpeciem ſuam orationem, quod potuit ſimulare virtutes, quod in auctoritate fama tuendis & simul ostendandis ſummè felix , ne dicam Magister fuit: quod idem præter exempla iam pri- us, per (γ) lib. 2. ſupplēm. in Curt. pag. 85. (γ) in ejus jam ſepe citatio diſert. pag. 419. 420. 421.

us, per omnem fere disputationem sparsa, etiam dicta probant Taciti, ab eodem auctore allata (δ) Ita jam ipse Tiberius, quamquam sua natura tenax, & principatum vetustate quadam firmatum ingrediebatur: tamen suas quasdam habuit pellicendi vias. Quidque qui recte quadam modestia honorum, devinxit sibi senatum, dissimulazione procacitatis linguae populi favorem ambiebat, & speciosam tributorum moderatione, provincias sibi obsequentes retinuit. Scilicet in appellandis, venerandis singularis prope excederat humanitatis modum, Suetonius. (ε) Quanto autem alias fuit omnibus odio, dictus Tiberius, quantum exsecrationi vita ejus & recens defuncti memoria erat: partim ostendunt (ut cum Lentulo loquamur) libelli in eum certatim sparso, partim testatur universi adeo populi, audita iam morte ejus, gaudium & abstende memorie studium, negato sepulture honore. Hoc omnibus in confessio est, morte ejus ita letatum populum esse, ut pre gaudio sui impos, buc & illuc ad primum discurreret nuntium (η) Et inde non adeo malam id credimus fide, quod tempore imperii ejus etiam inter vulgo enatae sint voces, quae hodie utique oraculi vicem obtinent. Boni scilicet pastoris esse, tondere pecus, non deglubere. In civitate liberam, linguam mentemque liberas esse debere. Si nobis parum credis, vide ex ipsius hujus summae, si alias diceremus, nequitia tyranni verbis (θ) & occasionem, forsan etiam argumentum evidens sis habiturus, idem nobiscum sentiendi; dum inquit: Quid scribam vobis P. C. auctor modo scriba, aut quid omnino non scribam. Dii me Deeg prius F perdant,

(δ) per cap. 2. & 3. lib. Annal. 6. (ε) cap. 29. vide & cap. 26. 27. 28. 29. 31. 32. (η) Lent. cap. 4. de arcana Rerum pb. (θ) l. Ann. 6. c. 6.

perdant, quam perire quotidie sentio, si scio. Adde jam Taciti acclamationem: *Adeo facinora atq; flagitia sua, ipsi quoq; in supplicium verterant. Neg, frustra sapientissimus sapientia firmare solitus est, si reducantur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus* & *citus, quando ut Corpora verberibus, ita senitiat, libidine, malis consultis animus dilaceretur.* Verum O Tiberi, præstaret nullo loco, nisi quantum necessitas cogit, fortunæ se committere. Qvia magnanimi est, neq; secundis rebus insolescere, neq; deiici adversis. Interim semper tacitè sic venerari fortunam: *O fortuna, ut nunquam perpetuo es bona!* (1) Et hoc tanto hercule magis, cum ut corpus longatabe langvidum vēhementi purgatione, coñotis humoribus, gravius de salute periclitatur: ita & Respb. vitiorum gangrænâ tota occupata, medicinâ ipsâ puta, nimis asperâ labefactatur. Qvaræ vel lenta manu hic agendum, vel si salus desperetur, totum negotium, dum à tempore curetur, omittendum. Ne vasa auro solida, ministrandis cibis fiant; ne vestis serica viros fœdet.

§. VI.

Sic ad sui jam desiderii fastigium, occupabat Tiberius Omnia. Verum ita omnia occupare, est justo altius injurgere: ita vero insurgere, est labi, est errare, & (si Tiberius non fuisset) præceps per præcipitia ipsa præcipitari. Qvam autem præstitisset, rerum gloriarum laude sib Augusto adhuc integra, ipsum privatum cum morte vitam commutasse: qvam sua integræ famæ tyrannidie labæ imposta, omnibus vivere odiosus, aut mori cum summa omnium dilectione. Adeo non sine causa, dixit Svetonius (2) Mori volentibus vis adhibita vivendi. Nam mortem adeo vile supplicium putabat, ut cum audisset unum è reis Carnulum (3) Ter. in Hecyra Atk. 3. scen. 3. (2) in Tiber. c. 61. nomi-

nomine anticipasse eam, exclamaverit: Carnulhs me evasit. His
 si addere velis aut exoptas quædam adhuc intacta Ti-
 berii dedecora; utpote stupris & adulteriis potentiam robo-
 rare, pennis ita insidere, ut renasci nequeant; imagine juris Deo
 ipsi esse injuria: sit tibi liberum. Nos urbis nomine eo sic
 tempore afflictæ, queruli ingemiscimus: mores inte-
 gritate projecta, prolapsos! O me ut antea libertate,
 sic nunc nimia tyrannidis servitute, miseram! quid mi-
 seram? multis horrendam! omnibus in totum dete-
 stabilem! Qvia sub Tiberio, non hominum sermo argu-
 ebatur, non facta tantum, raro ex merito, plerumq; ex
 ipsa injuriâ, fuere plus justo flagellata: Quid & ipsi adeo
 affectus, qui agrè compressi, vel inviti erumpunt, humani vel
 animales potius appositis, qui vultus & suspiria scrutarentur, cri-
 mini dati (1) Indolem noscas vitii, qvippe periculum
 subest, ne vel radices ita egerit, ubi semel acceptum fu-
 erit & gratum, ut loco moveri amplius non possit; vel
 si securim admoveas, casu suo vicina obruat. Aut i-
 gitur humoris abundantia, quæ materia incrementi,
 callide subtrahenda, ac rami exuberantes, paulatim
 decerpendi, aut sine ullo rerum motu, sub umbra ejus,
 foveri cetera assvefiant. Verum si ad Tiberium redeat
 sermo, verum & indubitatum id omnime erit, quod
 non introspexisse mentem ejus, verba perplexè ponderantis, discri-
 minifuit: eadem autem intellexisse, magis etiamnum formidabile.
 Qyocirca tulit ad ultimum hunc fructum ejus morosa
 sapientia, quod singulis invisus, sibi ipsi difficilis, depo-
 sitâ imperii administratione, & declinatâ Romæ & Ro-
 manorum conversatione, latebras Caprearum (nam Ca-

prece fuit in insula juxta Neapolin, cuj⁹ secessu imprimis delectat⁹ est Tiberius) principe satis indignas peteret. Inde mutatis saepius iocis, Tiberiū corpus ac vires non dum dissimulatio deferebat. Idē animi rigor, sermone ac vultu intentus, quæ sita interdum comitate, quamvis manifestata detestationem tegebatur (u) Decimo septimo Kalend: Aprilis interclusa anima, creditus est mortalitatem impleuisse. Et multo gratarum concursu, ad capienda imperit primordia C. Cesare egrediebatur. (u) Sed ea quoq; in rebus humanis haud postrema calamitas est, quod utcunq; levi auctori, quæ facta optamus, tam enixè creduntur, quasi veritati vim afferre possit pertinax & impatiens rationis opinio (v). Cum repente adfretur, redire Tiberio vocem ac visus, vocariq; qui recreandæ deflationi cibum adserent, pavor hinc in omnes & ceteri passim dissipari, se quisq; mastum ac nescium fingere: Cesare in silentium fixus, à summa spe novissima expectabat: Macro intrepidus opprimi senem injectu multa vestis jubet, discedique à limine. Sic Tiberius finivit octavo & septuagesimo anno (v) Ita maxima quoq; in lubrico sunt, & audacissimas spes hominum qilibet ex improviso casus eludit. Quo appareat non fortè nego, temerè res humanas fieri: Sed plerumq; fortunam pro moribus; neque diuturnam esse felicitatem, que virtute destituatur. Qvo circa adhuc repetimus illud, quod melius hercule regnasses & magis felix Tiberi, si amorem habuisses subditorum sincerum & retinuisses reverentiam castam. Scilicet ut consistit prior in vindicandi læsos severitate, in succurrendi miseris promptitudine, in ignoscendi lapsis facilitate, cum suavi sermone & conversationiis venustate: sic amat ipsa tui reverentia, animi tui quandam magnitudinem, requirit consiliorum prudentiam, expedit gravita-

(u) Tacitus l. 6. cap. 50. punct. 1. (u) Tacit. lib. 6. cap. 50. punct: 6.

(v) Freinsheim. in supplement. in Curt. lib. 1. cap. 13. pag. 37. (v) Tacitus
hæc omnia in modo citato lib. citato 50 cap. punct. 7. 8. & 9.

vitatem morum, quibus si quid adhuc deesset, id ipsum reddit ipsa, ipsa dico eventuum felicitas. Qvam præ aliis in vita habuisses, si Deo, si Repb: Site ipso dignum egiſſes, nec eminentiæ tuæ ingratum. Qvod autem non ab omnibas in eorum numerum relatus fuerit, quos nominamus tyrannos: in causa sanè fuit, quod *lente*, quod *specie juris, suam explicitur sevitiam*, ut ex multis patet supra allatis locis. Sed si hac ipsa propiorem & adhuc magis sufficientem expetieris causam, dicimus ea subsequuta fuſſe tempora, quæ Tiberium quodammodo reddiderunt desiderabilem, furente Nerone, sæviente Othonē, insurgente Vitellio. Nam impetu Caii, socordiâ Claudii, scelere Neronis, immane! quanta strages edita est virorum, maximè in urbe illustrium, & fortunæ aut ingenii donis insigniorum. Qvibus adeo extinctis, nec dum desit illustrium interitus aut ipsa suis est liberata Resp: damnis, sed aucta, dum Vespasianus Reipb. filium suum dedit Domitianum. Nec enim Tiberio tempora omnia fuere eadem, sed diversa. Egregium vitæ famaq; quondam privatus, vel imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusius superfuere. Idem inter bona & mala mixtus, incolumi matre: intestabilis sevitia, sed obtecbis libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve: postremo in sceleras simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu. suotantum utebatur ingenio. (o) Dictum, factum. Non mitigarunt Tiberium, toto post cædem Seiani triennio, quæ plurimos mortalium aliás compescere solent, tempus, preces, fatias: quin quæ maxime existere incerta & jam præterita, tamquam gra-

(o) Tac.l.6. an: 52. & quidem verba ibid. ult.

vissima castigaret & adhuc recentiora, teste eodem Tacito. (π) Scilicet difficile est eximiam felicitatem, moderato animo ferre. Unde saepius fit, quod homines, cum fortunæ se permiserint, etiam ipsam naturam dediscent. Adeo nulla major victoria, quam vitia domuisse, *Seneca.*

§. VII.

Iam videmus dubium tuum animum in eo esse, quod vel herba ipsa Solsticiali magis sic fluxus & dominationis non modo incertæ, sed concisæ etiam perituræ, tyrannus. At Tiberius vixit ad extremam usque, ut dictum, ætatem, Imperator ac Cæsar annorum non quidem serie ditissimus, sed nec aliis vilior, ad illud Taciti (ρ) Deinde Rhodo regresse, vacuos principis penates duodecim annū, mox rei Romanae arbitrium, tribus ferme & viginti obtinuit. Sed simili attendas necesse est ad id, quod diximus prius, alterum nempe esse, pelle ipsa detrahdā, apertum, alterū egisse tyrannum reconditum. Quid namq; de ejus astutia Suetonius (σ) Si quem rerum elabi gratia rumor esset, subitus aderat judicis, aut è plano, aut è questoriū tribunali, legum & religionis & noxa, de quā cognoscerent, admonebat. Sed quo fine? novit suam artē, ergo ut non inter pessimos numeraretur, sed quasi inter optimos, sī minus, inter optimos & pessimos ad minimum medius; idem fecit: nam fuit hoc, annis imperii ejus primis. Verum, *ingloria ex vilibus palma esse solet,* & tanto semper illustrior vittoria, quanto quis aliquis viciisset, pluris haberentur. Alias & extra casum hunc, concedimus facile una cum Wendelino, tyrannidem, quā personam, quæ crudelē adeo se præbuit, citò & plerumq; violenter aboleri posse. Testimonia si vis, profertimus imprimis Plutarctum, qui dixit: *Tyranno sene, nihil esse rarius.* Addimus insuper summam verborum *Seneca*, quod demittit ætas maximè matura ipsos Reges, & illis defunctis, in imperium succedunt liberi, evanuntur Neopotes: Sed Tyrannis à tergo quasi imminet, injiciam vindicatur Deus. Sin exempla mavis, proponeremus certe ex Bibliis (π) lib: eod: 6.38 p.2. l:6. Ann. 1.51 p.1. In Tiber: & 33. ipium

ipsum Achabum, depingeremus quoque infanticidam Herodem: nisi intelligeremus, in hoc argumento, ut aliis plurimis abunde sufficere, modo citatum Wendelinum. Breviter. Quamvis venantium modo, singula eorum scrutaretur latibula, ipsa nalis promerita pena: Nullum tamen vix cernas fus fata effugisse Tyrannum. Adeo hic nihil violentum perpetuum. Quia & rerum omnium tanto magis malacum est maxima quodam viris fuitudo, ut Comitus: & ima permisit brevis hora summis, ut Seneca, loqui maximè sivevere.

§. VIII.

Hic tamen ultimò observandum; non licere impunè occidere Tyrannum. Dicis. Licet tamen sui defensionem agere, licet iusto metu occurrere; illud vel maxime aequum foret: Tyrannum in eam incidere foveam, quam alterius causa erigi curavit. Sed bene mihi venias. Qvò minus David potuit Regi Sauli violentas manus inferre, defecti ipsi unum. Scilicet habuisset justam causam, habuisset iustum animum, sed deerat ipsa juris dictio. Nec enim cuilibet privato tanta conceditur res tantum ob id, quod Tyrannus adeo per vim invadit imperium, ut nullas causas belli merito proferre queat. Nec privato hoc concedendum est, si hoc imperium per vim rapuum, per vim solum possidet, inclusa passione Iustitiorum fide data. Quin si hæc duo simul concurrunt & accedit tertium illud, maximum iam robur hisce auditum, quod scilicet, exclusa modo dicta passione, talis quispiam suffragio omnium sit hostis judicatu, & proclamatus patriæ pestis & malum: tum modo quovis à privato tyrannicidium iutò peragi posse, asseveramus cum Clariss. Wilhel. Stratemanno [7] Male proinde citat Vendelius [v] factum & exemplum iudicis Iehud (p) ad stabilendam suam legem, quam vocat Valerianam: Quippe qui Exemplum sumit speciale, & ut merè heroicum: & Extraordinarium, quod imitari non est cujusq; privati, ad illud J. C:torum: Exempla specialia, non possunt constitutre regulam universalem. Alias loquitur quam maxime egregie idem,

quando-

(r) In Pol. l:suo 2:c.2.p.81. (v) In Pol.c.suo 10. q Jud:3 v.21.

quando dicit: *subditi contra Tyrannos rectius se defendunt scuto, quam gladio. Hoc est declinant rectius, quam vindicant injurias. Si declinare nequeunt, relicta est ipsis gloria patientia & obsequis, quo mitigari solent imperia* (x) Raro enim felices sortiuntur exitus hujusmodi conatus. Historias vide & fastos temporum. Nos vetera & recentiora non cumulamus, tantum tamen in historia Augusta permanentes. Romani primos impetus Augusti, plurimorum licet funere conspersos, tolerantes, quietam deinceps vitam, per multos egerunt annos. At iudicem extremos Tiberii, de quo iam paucis egimus, annos non ferentes, & per Macronem cedem, quam optaverant, patrantes (ψ) Caligulae delicioli sui, & quod esset filius Germanici, furiosam sevitiam experti sunt. Eo rursus per Chereæ audaciam liberati (ut habet Lentulus) in stultam Claudii inciderunt iracundia, quem veneno sublatum gavisi, multo deteriorem senserunt Neronem. Tolerabile ergo malum, metu gravioris tolera: Nec vel justam Dei iram, vel principis exscandescientiam provoca. Ferendo namq; vincitur, quaiendo exasperatur jugum. Proinde Cerialis (ω) quomodo sterilitatem, aut nimios imbres & cetera natura mala; ita luxum & dominantium avaritiam tolerato. Quod ipsum robora dicto Apostoli Rom; 13. v. 1. Item ejusdem dicto 1. Tim: 2 v. 1. & a. Adeo jam accipere præstat, quam facere injuriam. Quid? quia nihil est parte ab omni beatum. Tantum. Nam magnos magna decet, explicuisse Magistros; nobis mino-ribus, vel modica & ima planè abunde sufficerint. Tu interim nos Mome mitte, & illud altius perpende Curtii lib. 7. Cap. 4. Natura Mortalium hoc quoq; nomine prava & sinistra duci posse, quod in suo quoq; negotio, bebetior sit, quam in alieno. Tur- bida facta sunt consilia eorum, qui sibi suadent. Qvæ autem quæ- so causa? quia obstat aliis metus, aliis cupiditas, nonnun- quam etiam naturalis eorum, que cogitaveris amor.

DEO SOLI GLORIA.

(x) in Capite ejus modo citato & allegato. (ψ) de quod vide Sest. bujus parag:6. (ω) lib: 4. Historiarum. c.17.p.4.

Pereximie Dn. CANDIDATE, Amies & Fautor honorandos.
vemadmodum ferro rubigo, ligno vermiculi & teredines adnascentes perniciem adserunt, sic ut etiam si cuncta externa no-cumenta effugiant, ab istis tamen, quæ adiuta habent, absu-mantur: Ita etiam cuilibet, Reip. pro natura ipsius quædam adhæret peculiariis malitia, utpote Monarchia Tyrannis; Aristocratis Oli-garchia; Democratis bestialis Ochlocratia: ut fieri nequeat, quo mi-nus cuncta temporum cursu mutentur. Ut autem siccо pede reli-quas præteream formas, haud facile diſlu, præter insignes conmo-ditates quas adfert Monarchia, quanta celeritate, commutetur. In stuporem rapimur, si virorum præstantiam intuemur, quos flo-re-scens Romanum Imperium edidit, si virtutis excellentiam, si justi-tiam, continentiam, libertatis studium ingens amoremq: mutuum consideremus: nimirum, nondum dominandi licentia ad insanas & cruentas se converteret artes: At postquam è mortalium colo-nia migrassent tot facinoribus illustres, evanuit virtus in thea-tris, emarcuit in foro justitia, Divina propemodum clementia hor-rendo malorum diluvio suffocata est & extincta, crudelitas per omnes ordines & statas grassabatur. Unde querulae ingementium voces exaudiabantur, fulmina à Jove missa, implacabilia, perniciosa, non nisi miserorum cruento sarcina; gemitus Civitatum, ploratus, mon-stra quædam non hominis, sed feræ nescio cujus immanis. Insper-a-tò mansuetudinis & clementiae lenitatem Augusti, eujus nomini plau-dit orbis, & laudes serviere immortales, excepero minæ, imo rapinæ foedissima ferocientis Neronis, qui sine mente imperitos statuarios, Colosso demum conspectiores futuros præsumentes, si multum diva-ricatos, distentos & hiantes fecerint, imitatus, acerbitate vocis, a-spectus asperitate, morum difficultate, & conversandi aspernatione magitudinem & severitatem imperii exprimere se putavit, regnum, quod constituit ars, prudentia concinnavit majorum omni nisu depopulatus: eo illustrius gloriam Majestatis splendescere existi-mans, quo magis miseras mortalium annalibus conderet, coronam Imperii Tyrannicas conciliare artes, non clementiam falso ratus. At Reges & Principes nil solidi in hoc fragili rerum statu sibi pro-mittant, præter factorum pie, honeste & laudabiliter gestorum glo-riam & nominis sui apud posteros immortalem & solidam famam. Hinc populus exemplum recte vivendi moresq: laudabiliter institu-

endi velut normam deprehenderit, quid in moribus suis corrigere,
quid omnino fugere, quid magno studio festari debeat, si ad per-
fectionem vite presentis, & ad felicitatem futuræ pertingere velit.
Hic murus æneus, hoc firmissimum propugnaculum, hæc certissima
salus. Si vero sceptro, si opibus, si populis superbiunt, maleq; iis utun-
tur, non ex nobilitate rei aut necessitate usus eos metiuntur, fallax
ex iis & non diurna voluptas. Temporis ista omnia sunt dona &
rapina. Non enim stipantia satellitum agmina tueri Principes pos-
sunt, nisi ipsi, quos regunt, animum imperanti benevolentiamq; ad-
commodent. Quippe iidem dum dia tutoq; imperant, qui non metunt
ex crudelitate, sed amorem ex bonitate civium suorum animis in-
stillant. Neq; enim quos seire, necessitas coegerit sed quos obtem-
perare sua queq; voluntas adegit, ii sunt in agendo patiendoq; à
suspicione omni assentationeque vacui: nunquam imperia detrectant,
nisi violenter consumelioseque sint habiti. Sed quid multis in am-
plissimum nobilissimi argumenti campum excurrant frustaneus e-
vadet labor, si vel svadæ thesauri & opes cumularentur: Lucrabi-
tur tempus quisquis ex praesenti eruditissima dissertatione, Tyranni-
dis naturam & artes altius haurire fategerit. Neq; vero Te Perexi-
mie Dn. Candidate à tam laudabili proposito absterruit, quod ina-
nibus imperitorum imo malitiorum nugis contra Politicam ar-
tem crebro jactari solet, qui omnem doctrinæ conformatiōnem
reiciunt, disputationes de rebus Politicis adcuratores exhibant,
ac eos, qui in illis temporis aliquid operæq; insinuant, ludos facere
existimant: Nam & illorum novissi mores, & quantum eorum au-
toritati tribuas, haud ignoras, quibus omnis res & spes ab adulata-
tione pendet, multisq; contabulatis mendaciorum ordinibus, pon-
tem ad suam industriam ornandam struunt, veritatem Cimmeriiis
tenebris involutam sepeliunt, adeoq; siccitia sapientia velut ægritu-
dine quadam laborant, & sapientes sunt, præterquam in iis rebus, in
quibus sapientes esse deberent. Et profecto laudes prudentiæ Politicæ si
quis enarrare cupiat, citius dicendi exordium, quam exodium, ejus par-
tim jucunditate partim utilitate adactum, repertorum arbitror: qua-
rum utraque tam clara & manifesta est, ut nullum haec tenus nisi in-
sanum inficiari sciamus, nisi qui forte irrisorem aliquem Lucianum,
aut omnibus disciplinis æq; infestum Agrippam nominare velit.
Quæ enī liugæ vel calami virulence diminuet laudes, effreniq;

licentiae arguet Conringies, Boeleros, Bechmannos, Bosios eruditio-
nisq; vastissimæ felicissimos Arnisæos, celeberrimorum nominum au-
tores in præsenti dissertatione hac partim ob fidem citatos,¹ partim ne
cursoriam interturbarent lectionem omissos. Accedit, quod non pauca
e jure naturæ ac gentium, unde fluunt, quæ notabiliora in diversis re-
bus publicis occurrunt, petere atq; huc trahere placuerit. Non exspe-
ctabis Perex, Dn. Candidate à me virtutum Tuarum laudumq; præce-
nia : nam quamvis eæ tales tantæq; sint, ut candida omnium bonorū
postulent elogia, tamen nec hujus loci, nec temporis, nec instituti mei
est panegyricum dicere, cum honorificum de Te summorum virorum
judicium virtutum Tuarum testimoniū sit certissimum. Interim nefas
duxi gratulationis officio supersedere. Tibi itaq; egregiā in artibus li-
beralibus navatam operam ex animo gratuler, qui hinc uberrimā olim
perecepturus es messem. Tuam in vivendo eximiā moderationē huma-
nitatē ceterasq; egregias Tuas dotes, quanto in aliis rariores, tanto magis
Tibi decoras prædicem: & loquuntur pro me honores propediem in
Te conferendi. Fides vero, constantia & integritas Tua, qua me ardentissi-
me divinasti, sempiterna recordationis & officiorū me co[m]monefacit.
Gratulor Tuis parentibus tam optatam prolem. Qvis plausus erit?
quæ omnium lætitia? quæ gaudientium gratianumq; exultatio & pe-
ne intemperies? Ego autem quanto tumultuantem gaudio animum
ut unque composui meo defunctorus officio meumque contestatus
affectum, Tibi cuncta fausta exopto,

Qui Tibi ad omnem fidem scandorem sum obligatus
JOHANNES FORTHELIUS, GESTRICIUS.

Pαδίως διαγενώσκεις ὁ εἰσόρε μη φίλτατο, καὶ εἰς ἄκρον τῆς φιλοσο-
φίας ἐληλυκὰς ὅη εὐκαλάφορος πόνος πάντων περιέσται, καὶ οὐδὲ τέτο
σπουδαιότερως αθετῶν μησῶν εσπέδασθε, καὶ οὐ, οὐθὲν δόξα, καὶ η
γνώμην σα, περὶ τὴν ἀκρὺν εἴσιτας ἡλίας ἀρκάς παρηγείλας· τέταν ι-
νέας συνχάιοντοι λαμπρότατες ψάδαις, ἐξ ὅλης Τῆς περιδιας μη,
ικέσσιν καὶ περισσότεροι περιστεραῖς τῷ Θεῷ εἰς τὴν δόξαν τάιην Σε περίγενον,
ινα τέλη περιστερω περιστεραῖς ταῖς περισσοῖς συγχάτασις ἐν λογοειν εἰς δό-
ξαν Τῆς οὐρανοῦ ἀνθή, εἰς ᾧ φέλημα Τῆς πατρείδος, εἰς καιρούντον τῶν
τοκέων, καὶ τῶν πρὸς ἄπιμαλος φίλων, καὶ τελεύταιον εἰς τὸ ιδιονέυχη-
τημα!!

ἀς εὐχες ταχινῶς ποιεῖ

GUDMUNDUS AMNELIU

Solidā eruditionē, ingenio & morum elegantiā insigniter egregio,

DN. HAQVINO WIISINGI

Sanioris Philosophiz Candidato dignissimo, pro indipiscendis in Philosophiā honoribus, eruditè & nervolè de Tyrannia differenti, amico & fratri ut integerissimo, ita probatissimo:

PReside sub celebri, præstans virtutis Alumne,

Fautor Wiisingi, differis egregie.

Doctas ipse theses scribis de themate docto,

Monstras in Doctis Te meruisse locum.

Mens tua sublimis sublimiæ celsaq; tractat,

Haqvine, ut nodos difficilesq; fecat.

Hunc tu discursum testem das, deque Tyranno,

In quo te prætas non sine laude virum.

Gratulor bas animi dotes tibi, gratulor artes;

Eloquium grator, gratulor ingenium.

Te laudant Muse, gratatur docta Corona:

Præmia sed Christus non moritura dabit.

Sic letus merito Sopbiam amplecteris in ulnis,

Wiisingi, sponsans ritè deinde tuam.

Pariet en sobolem; faciet Te prole beatum:

Excipies ulnis: nomen habebit honos.

Nunc cape pro meritis, mi frater, rite Corollam,

Delia laurus adest! certa brabæa cape!

Præcinctus viridi Musæ tua tempora lauru:

Quod bene sit! precor ut Joda juvare velit.

Auxilium opatum preslet Tibi tempore quovis;

Sit tibi dux vita! sit tibi duxque via!

Omnibus in rebus boneo Tibi prospera quevis,

Ut tandem patriæ Candida stella duas!

Sincero cordis affectu adprecatur

M A G N U S A L M / Sinol.

S. R. M. Stipendiarius.

